



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs V. De aliis speciebus actuum intellectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

animalia, ut Petrus sit eiusmodi? at omnem h. omni- nem esse animal, in cognoscendo potest esse causa; ob quam Petrus sit animal. Sic diuina reuelatio non est causa mysterij, quod reuelat, in esse rei, ut aiunt: est tamen eius causa in esse cogniti. Proinde quando ex his præmissis, omnis homo est animal, Petrus est homo, inferitur, Petrum esse animal; quia est homo, & omnis homo est ani- mal; huiusmodi reflexiua conclusio non est fal- sa, nec affert in causam sui objecti, quod eius causa non est, sed potius quod talis est, si minus reipsa, at cognitione tenuis: hoc autem nisi sufficiat ad abolendam omnem falsitatem; fidei diuinæ suberit proculdubio falsum.



TRACTATUS V.

De aliis speciebus actuum intellectus.

CAPUT I.

Septuplex diuiso actuum intellectus.

I **MIRVM** in artem, scientiam propriè di- ctam, prudentiam, sapientiam, intellectum, suspitionem, atque opinionem. Porro autem ars, ut ab eâ ordiamur, tripliciter sumi consuevit. Primò, pro quavis notitia intellectuâ, seu practica, seu etiam speculatiua: hoc sensu Mathematicas, quamuis aliqui speculationes sint, & scientiæ, artes tamen vo- cant Plato, Aristoteles 1. Rhetoricæ ad Theodectum, & alibi sæpè. Plutarchus lib. de diuinat. apud Stobæum. Eodem sensu Cicero libro 5. defini. dixit: *Omnium artium rectè dici potest, commune esse ut in aliqua scientia versentur: scientiam autem suam cuiusque ar- tis esse.* Eodem etiam sensu dixit Fabius lib. 2. cap. 18. *Cum sint autem artium alie posite in inspectione, id est, cognitione, & estimatione rerum, qualis est Astrologia nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium ha- bet, intellectu contenta, que theoricè vocatur: alie in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, &c.* Secundò usurpatur solet ars pro omni, & sola noti- tia practica. Ita B. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. Arist. 1. ethic. c. 1. quos referunt, & sequuntur Conimbr. q. 1. proœmiali art. 2. Tertiò accipi solet ars pro sola noti- tia practica ad externam materiam transeunte; quo pa- cto loquitur Plato in sophista, & Aristot. dicto lib. 6. ethic. sic inquit: *Et nulla neque ars est, que non cum ratione factiuius habitus est, neque talis, que non ars: idem vique erit & ars, & habitus cum ratione vera factiuius.* At iuxta Arist. 9. met. factio est circa externam materiam, & actio circa internam. Quod etiam sentit B. Thom. lect. 3. nuper citata: *Actio, manens in ipso agente operatio dicitur, ut videre, intelligere, & velle. Sed factio est operatio transiens in exteriorem ma- teriam ad aliquod formandum ex ea, sicut edifica- re, & secare.* Eadem ratione usurpant artem Co- nimbr. vbi suprâ, & Theophilus in prolog. discip. mor. §. 2. num. 20.

Post diuisionem artis, reliquum est, ut eam finia- mus. Omnium autem celeberrima eius finitio est hæc: *Ars est collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem utilem vitæ.* Ita Stoici omnes rectè Cicerone lib. 4. academ. quæst. ita etiam medici cum Galeno c. 5. introd. & q. 1. medicarum finitionum: ita denique omnis Peripateticorum schola. Quanam au-

tem ars ea definitione explicetur, explicatu eget, an nimirum primo modo sumpta, vel potius secundo, aut tertio modo usurpata? Quod eius definitionis materia non sit ars postrema ratione accepta, certo certius: alioqui sicut hæc excludit practicas scientias ad externum opus non prodeuntes, ita etiam huius- modi facultates sub eam definitionem non caderent: atqui nulla eius particula est, quæ eas reiciat. Quod ars secundo modo tradita eius definitionis subie- ctum sit, opinio est Galeni & Theophili locis nuper citatis, & aliorum plurimum, eaque, quantum arbitror, verior, ac probabilior est: omnes enim, & qualescun- que scientiæ practicæ, necnon solæ illæ sunt collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem ali- quem utilem vitæ: omnes quidem ut sponte sua pa- teret: solæ etiam, quia facultates non practicæ, sed tan- tum speculatiuæ haud inuenta sunt ad vsum aliquem vitæ, sed propter solam veritatis contemplationem, ut luculenter docet Aristoteles 1. 1. metaph. c. 1. Cum autem plures artes inuenirentur, quarum alie ad res necessarias, alie ad cultum vitæ conferrent, semper tales ceteris sapientiores fuisse putamus, quod eorum scientia non ad vsum referantur. Quocirca omnibus iam huiusmodi rebus comparatis, ea scientia reper- ta sunt, quæ nec ad voluptatem, nec ad vsum neces- sarios conducunt, ac primum iis in locis, ubi homi- nes in otio vitam agebant. Hinc Mathematica ar- tes in Aegypto primum constituta sunt, quod ibi concessum sit, ut Sacerdotes otio fruantur. Idipsum etiam cum Aristotele sentiunt Fonsæca ibid. littera T. pluresque alij interpretes. Atenim probabilitate non vacat, quod Conimbricenses suprâ quæstione 1. articulo secundo, & communiter alij recentiores vo- lunt, artem etiam primo modo sumptam, & qua- tenus scientias omnes tam practicas, quam spe- culatiuas complectitur, ea definitione exponi: quod ut sustineri queat, postrema definitionis verba ita sunt interpretanda, ut utilitas, quam respicit ars, non prescè accipiatur, sed omne bonum coërceat: sic autem facultates speculatiuæ ad finem aliquem vti- lem vitæ conducunt, scilicet ad bonum intellectus, & veritatis perfectam possessionem, atque ignorantia, & errorum fugam.

Obiicies tamen aduersus prædictam artis defi- nitionem. Deus Optimus Maximus arte præditus est, ut habetur Sapient. capite 7. *Omnium enim artifex docuit me.* Sapientia & capite 8. *Quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex.* Quæ de sa- pientia increata communiter interpretes intelligunt, & merito quidem: namque nuper citato capite 7. de artifice illa sapientia subditur: *Candor est enim lucis æterna, & speculum sine macula Dei maiestatis & imago bonitatis illius.* Artem etiam in Deo agnos- cit August. lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Verbum est ars omnipotentis Dei, plena omnium rationum videntium.* Eam etiam Pater Suarez 1. parte libro 3. de attributis capite 4. numero 7. velut exploratam supponit. Atqui in Deo non est collectio multarum compre- hensionum, &c. sed potius vno simplicissimo mentis suæ intuitu cuncta comprehendit: perpetam ergo ars per multitudinem, & collectionem comprehensionum assumpta Dei simplicitate prorsus alienam definitur.

Obiicies secundo: tota Logica, v.g. est vnus sim- plex habitus, ac proinde vna habitualis comprehen- sio: non ergo collectio multarum comprehensionum: & tamen est ars. Argues tertio: Logica si non est simplex habitus, sed multiplex, certè hoc ipso non de vna re, siue objecto formali censetur esse, sed potius de multiplici, vt pote ex quo multiplicitas in habitus Dialecticos redundet: vel hoc ergo nomine ea definitio

definitio reiicienda est, aut Logica quidem disciplina non circa vnam rem occupatâ à cœtu artium remoueri debet, nec solum ipsa, sed quæcunque alia totalis. Argues quartò: tamen Logica in plures habitus distincta sit, attamen quibus eorum est ars: quid enim inter auctores vsurpatius arte definiendi, verbi gratia, arte diuidendi, aut arte inueniendi medium? quarum tamen nulla plures habitus claudit, nulla non vno duntaxat continetur: malè ergo ad artem multitudinis comprehensionum exigitur. Tandem opponēs: Magia est ars: eam enim vocant artem Plinius libro 30. capite 1. & 2. ac reliqui auctores gentiles: eam etiam eo nomine appellant Diuus Clemens libro quarto, de rog. & alij Patres: denique scholastici nostri eam sic passim nominant, in primis vero noster Deltius libro primo magicarum disquisitionum cap. 2. Atqui non est collectio multarum comprehensionum ad finem vtilem vitæ, sed potius inutilem, noxium, & perniciosum. Quapropter Plinius nuper laudatus eam intestabilem, irritam, inane, fraudulentissimam appellat, talemque re vera esse vtriusq; iuris aduersus eam sâcra leges testantur.

5 Ad primum argumentum ita respondeo. Quemadmodum in Deo artem esse negari non debet, sic etiam ratione certa credendum est collectionem multarum comprehensionum ei inesse, dummodò non de multitudine reali, sed virtuali, ac solius, rationis sermo sit: quod autem simplicitati diuinæ non repugnet pluralitas prædicatorum, eorumque distinctio impropria, ac metaphorica, cuiusmodi est virtualis siue solius rationis, quantum ego sentio, per se dispalefcit. Ad hoc, si comprehensiones non formaliter, sed obiectiue sumantur, multæ quidem distinctæque, à Deo colliguntur, ac percipiuntur, ac proinde ei inexistit ars, quæ sit collectio quædam intentionalis, siue comprehensio plurium veritatum, quæ ad vnum aliquid sua aut alterius sponte rediguntur. Atque hac ratione definitionem explicandam esse ex Stoicis, à quibus est adinuenta, doceat Conimbricenses loco superius allegato. Qui etiam id rectè adiciunt, Zenonis sectatores, aliosque gentiles fortassis solam artem creatam, sibi cognitam ac perspectam, non verò increatam, ac Dei propriam descripsisse, atque adeo abundè esse, si illi, & non huic omnes descriptionis particule conueniant.

6 Ad secundum argumentum similiter respondeo, logicam, si simplex habitus sit, esse quidem vnam comprehensionem habitualem realiter, ac multiplicem virtualiter, seu ratione nostra: aut secundò, esse multiplicem obiecto formali, vel materiali tenus, alterutrum enim horum in Dialectica multiplex esse, nemo inficias ierit. Ad tertium respondeo, logicam habitualem, multiplex si sit, ut longè probabilius, hoc ipso esse non de vno obiecto formali, sed de pluribus, omnia tamen cum referantur ad vnum obiectum attributionis, eam totam ex hoc titulo esse de vna re, sicut ad veram rationem artis oportet.

7 Ad quartum respondeo, solam artem totalem, & integram definitam esse: proinde necessum non esse, ut definitio singulis eius habitibus congruat, ac accommodetur. Sed quibus habitus, eius definitionis esto materies. Quid tu? Profecto quibus multas comprehensiones obiectiuas in se claudit, & colligit, si de obiectis materialibus loquamur. Adde, quod ars definiendi, aut diuidendi, aut inueniendi medium multos habitus specie diuersos complectitur, tamen quævis earum sit vnus habitus generice: quod ergo vnus simplex habitus nequeat esse ars, argumento contrario, exemplisque in eo adductis haud probatur.

8 Ad postremum argumentum respondeo, Magiam

in communi sumptam esse quidem artem improprio, ac vulgari modo, aut proprio, ac rigoroso, nec obiectis testimoniis conuinci, quod vno magis, quam altero rationem artis obtineat. Quamobrem cum P. Deltius cap. illo 2. eam ita definiisset, ex sua, & communi aliorum sententia, *est ars, seu facultas vi creata & non supernaturali, quadam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum capium superat*, statim explicat artem generis loco positam non magis proprie, quam improprie sumi oportere, atque vtrumque modum complecti: eius hæc sunt verba: *Artem dixi, seu facultatem pro quavis cognitione, & operatione apodictica, topica, scientiam gignente, vel non gignente, mechanica, vel liberali, artificiosa vel artis experte, vel circulatoria, superstitiosa, vel vitij experte*. Merito autem hæc adeo dicta sunt: namque cum Magia in naturalem, artificiosam, & diabolicam tribui soleat, sola postrema est, quæ vi pacti cum dæmonibus initi mira quadam, & insolita operatur, cuiusmodi sunt incognitis linguis fari, mortuorum simulacra coram sistere, montes loco suo mouere, innumeras leucas brevissimo temporis spatio emecini, specula facere in quibus quæ multis milliariis circum circa sunt tanquam si essent præsentia appareant, aliaque eiusmodi humanitus fieri impossibilia. Magia vero naturalis, ac legitima est, ut notant Pselus lib. de demon. Proclus lib. de Magia, ac P. Deltius supra c. 3. Accuratior quædam secretorum natura cognitio, qua syderum, & cælorum influxu, & conuersione, nec non sympathiis, & antipathiis rerum singularium sedulo animaduertis, tuo loco, tempore, ac modo actiua, ut aiunt, passiuus applicantur, & mirifica quadam hac ratione perficiuntur, quorum tamen quia causa latent, idcirco non sine dæmonum interuentu ea facta communiter creduntur: quemadmodum Tobias felle piscis pater nam cæcitatem dispulit, quam tamen vim Galenus, Plinius, Alianus, & alij cõmuniter Callioyomo pisci attribuunt. Plura id genus exempla habes apud Aug. l. 29. de ciu. Dei, c. 4. 5. & 6. Hieron. Tertull. & alios Patres. Magia autè artificialis humana industria nititur, variisque principiis geometricis, &c. arithmeticiis. Huius præsidio creditur Archimedes in Siracusana obsidione Romanorum naues per specula combussisse, item vitrea sphaera cælum omne 12. signis suis distinctum depinxisse. Huc etiam pertinent, quæ funambuli circulatores, & Agyrti manuum, ac pedum agilitate efficiunt. Quæ cum ita sint, duo priores species Magiæ viles sunt, ac laudabiles, adeoque artes omni rigore, & proprietate: ceterum extrema species Magiæ, videlicet diabolica inutilis, & etiam perniciofa, ac noxia est, ac proinde non est ars, nisi improprio, & largo modo: optimo ergo iure diximus cum Deltio, Magiam in communi sumptam haud esse artem strictè & rigorosè, sed magis ab ea ita sumpta præscindi: quid igitur mirum, si artis definitio ei non conuenit? præsertim cum ars ab Aristotele, & Stoicis inter virtutes numeretur, non minus quam prudentia, scientia, sapientia, & intellectus; Magia autè genere suo virtus non sit, ac facillè in vitium deflectat, si Dæmon ei se admisceat.

9 Porro scientia etiam vtilitatem accipitur: primò pro quavis cognitione vera, quamquam obscura, aut etiam incerta sit. Sic dixit Iob c. 19. per solam cognitionem fidei, atque obscuram, & ineudentem: *Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*. Sic etiam dixit Ionathas Dauidi libro primo, reg. cap. 23. *Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc*. Atqui nisi per solam coniecturam, & cognitionem incertam non potuit id impio regi Saul cõstituisse.

H h 3

Sumitur

Sumitur etiam scientia multoties pro quavis cognitione evidenti, etiam si non sit mediata aut discursiva: quo pacto Deus in Scripturis tertio quoque verbo scire dicitur. Denique accipitur scientia pro noticia evidenti mediata, & discursiva, siue ex præmissis demonstrata. Hoc sensu scientiam usurpavit Aristoteles tum citato libro 6. ethicor. cap. 3. tum etiam 1. poster. c. 2.

10 Prudentia est recta ratio agendi ea quæ moralem honestatem habent, & ad bene, beateque viuendum pertinent. Sapientia est evidens noticia rerum diuinarum, humanarumque non per causas inferiores, sicut scientia, sed per altissimas, & supremas. Eius sex conditiones ex Aristotelis doctrina luculenter explicat P. Suarez disp. 1. metaph. sect. 5. à num. 8. Intellectus passim significat potentiam quandam animæ, munere cuius ea spiritaliter cognoscit, ac supra corporeos sensus erigitur. Cæterum in præsentia, atque etiam alibi sæpè ab Aristotele, & aliis sumitur, pro noticia certa, & evidenti, quæ intellectus actu, aut habitu assensum adhibet principiis primis, ac per se notis, cuiusmodi hæc sunt, quodlibet est vel non est, omne totum est maius sua parte. Tandem suspicio, & opinio, omnem cognitionem dubiam, incertam, ac probabilem complectuntur. Quapropter hæc duæ species ab Aristotele non numerantur inter virtutes sicut alia quinque, quoniam circa falsum esse, & à vero aberrare possunt.

11 At repones, attem etiam sæpè sæpius falli, nihilominus eam à virtutum cætu non arceri: quidni ergo opinio, aut suspicio virtus sit, quanquam utriusque falsum subesse queat & consuescat? Sed facile repellitur hæc obiectio. Tamen si enim vulgo dicatur, attem falli, quando summa non contingit, & aduocatus, verbi gratia, causa cadit, aut medicus ægrum non sanat, cæterum reuera ac sublato verbi abusu, ars nunquam falli potest: ea namque non affirmat opus, intentum, fore, sed potius quibus modis & mediis eius executio sit procuranda: at semper verum, & infallibile est, rem ita esse faciendam, & procurandam, sicut regula artis præscribit. Cæterum opinio rem fieri, aut esse repræsentat, non vero quatenus fieri, aut esse debeat: quare errori, ac falsitati obnoxia est, propter id quod eius obiectum non fieri aut non esse sustineat.

C A P V T II.

Divisio actus intellectus in practicum, & speculativum.

12 S Vper sunt duo alij generales modi repræsentandi, practicus nimirum, & speculativus quos, prætermittis aliorum sententiis, ita explicio. Cognitionis practica ea est, quæ suapte natura ad executionem sui obiecti tanquam ad finem tendit. Speculativa vero quæ omnino aliter tendit, atque ad solam rei cognitæ veritatem assequendam destinatur. Hæc sententia est planè Aristotelis 2. metaphys. text. 13. *Nam theoretica finis est veritas, & practica opus.* Et tertio de anima, cap. 10. text. 50. *Atque hic finem ab intellectu contemplativo differt.* Et 6. ethic. cap. 1. & 5. cui B. Thom. & reliqui interpretes prædictis locis subscribunt. Eandem sententiam tuentur Henricus quodlibeto 8. Suarez disp. 44. metaphys. sect. 13. num. 42. Vasquez tom. 1. in 1. part. quæst. 1. articulo 4. disputatione 8. cap. 5. num. 24. Hurt. disp. 1.1. de anima sect. 1. §. 2. Auerfa quæst. 27. Logica sect. 1. parum ab init. Pereira lib. 1. phys. cap. 2. & 3.

13 Porro autem plura quæ ab aliis conciliari nequeunt iuxta hunc sentiendi modum difficultate extricantur. Nam quod hæc cognitio Mathematica *triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, & reliquæ huius scientiæ, speculatiuæ sint, & non practicae ex earum fine tantum proficisci: sicut enim Dialectica, & philosophia moralis ad artificiosam dispositionem, & effectiorem actuum intellectus, & voluntatis dirigunt, ita similiter ea cognitio Mathematica ad effectiorem trianguli dirigit, & instruit: quod igitur scientia moralis, & Logica (vt in Logica lib. 2. cap. 4. & 5. probauimus) practicae sint potius quam Mathematica, & hæc potius quam illa contemplatiua, exinde tantum oriri potest, quod hæc ad executionem quantitatis continuæ tanquam ad finem non destinatur, cum tamen illa ad actuum intellectus, & voluntatis artificiosam executionem tanquam finem per se instituta sint: quod hunc in modum explano.

14 Constructio trianguli, cuius tres anguli æquales sint duobus rectis: deductio lineæ rectæ, quæ brevissima sit inter duo puncta; aut cuius media obumbrant extrema, aut quæ ex aquo interioret sua puncta, iuxta varias Mathematicorum lineæ rectæ definitiones: Descriptio circuli ex cuius centro ad peripheriam omnes lineæ æquales sint; horum inquam, & similium executio parum, aut nihil utilitatis habet: quod usque adeo verum est, vt Aristippus Mathematicas explodat, quia eius quod melius, aut deterius est, nullam habent rationem, & ex fine nihil conferre, vtilisve esse videntur: quod quidem de fine intrinseco, & obiectivo Mathematicæ ipsius verissimum est: cur enim melius, aut vtilius nobis sit, tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, quam inæquales, aut lineas omnes circulari centro ductas pares potius quam impares, aut lineam rectam inter duo puncta posse, vel non posse esse breviorē? at demonstrationes harum, & similiarum veritatum, & ad perficiendum intellectum vtilissimæ, & ad oblectandum iucundissimæ, & propter maximam euidenciam, certitudinem, ac difficultatem ad sciendum dignissimæ sunt: vnde demonstrationes Mathematicæ non sunt congruæ, & ordinatè expetibiles propter quantitatis continuæ in varias figuras, ac lineas sectionem, velut propter finem, sed potius ea sectio, & diuisio fieri debet, & solet ad demonstrationes Mathematicas intelligendas: proinde hæc quantumcunque causatiuæ sui obiecti practicae non sunt, eo quod ad eius causalitatem, & executionem velut finem natura sua non instituantur.

15 In Dialectica, & scientia morali aliter se res habet: nam actus studiosi voluntatis ad perficiendam voluntatem, & ad felicitatem consequendam, plurimum bonitatis, & vtilitatis habent, ratione quarum eorum exercitium, seu executio scientiæ moralis finis esse potest: actus etiam intellectus artificiosè dispositi ad intellectum excolendum, & oblectandum plurimum conferunt, adeoque eorum exercitium, & executio Dialecticæ finis esse potest, ac proinde tam ipsa quam scientia moralis practicae esse possunt, vt in loco ostendimus.

16 Eadem ratione explicari potest, quatenus Metaphysica agens de ente in communi speculatiua sit & non practica, quamuis ad eius executionem dirigere quodammodo possit: quid enim verat, cognoscen-tem ens in communi, vi huius notitiæ ad alicuius entis executionem accingi? Item quatenus philosophia circa actus intellectus, & voluntatis, aliave ad illam spectantia atque à philosopho factibilia, nihilominus sit speculatiua, & non practica, nimirum quia

quia nec metaphysica, nec philosophia ad executionem sui obiecti tanquam ad finem ordinatur. Etenim cognitio, qua Metaphysica cognoscit ens esse vniuersum potius quam analogum, diuidi adaequatè in substantiam, & accidens, &c. hac inquam ad executionem entis quid conferre potest? Et cognitio, qua philosophia, siue prima, siue absolute dicta, cognoscit actum intellectus consistere in qualitate potius quam actione, immediate liberum non esse, nec posse, vitalem, & immanentem, &c. quid conferre potest ad eius executionem, magis quam si de actu intellectus, non ea, sed alia omnia cognosceret. Tandem iuxta nostram sententiam rectè defenditur, quatenus bruta practice operari nequeant, & sicut speculatiua sic etiam practica cognitione careant, videlicet, quia propter finem operari non possunt, vt in Physica probatum est ex communi Doctorum consensu.

17 Hæc vt amplius elucescant, aduersus ea obijciens primò ex P. Tellez part. 3. tractatu 2. adnot. breui num. 9. Cognitio Dei est practica respectu creaturarum ad quam executionem eum dirigit, vt B. Thomas 1. part. quaest. 14. art. 16. & alibi sapè & P. Suarez 1. part. lib. 3. de attributis positiuis cap. 4. & reliqui Theologi communiter docent. Atqui diuina cognitio non refertur ad executionem rerum creaturarum tanquam in finem propter quem expeti possit aut debeat: perperam igitur cognitionem practicam explicuimus. Minor probatur: quoniam Deus est rerum creaturarum non minus finis vltimus, quam primum principium, quare sicut Deum dedecet principium efficiens extra se, ita & finis præsertim solius utilitatis, quam Deus ex creaturis nullam capit: huiusmodi autem est finis per quem practicam cognitionem exposuimus. Respondeo: quæ de cognitione practica differuimus in cognitione etiam diuina locum habent, si commodè intelligantur: vt enim cognitio sit practica, præter efficacitatem respectu sui obiecti ea debet esse, vt vel ipsa, vel alia obiecto tenus ei similis executionem rei cognitæ velut finem sibi proponat: eiusmodi autem est diuina cognitio. Vel aliter: ea debet esse cognitio practica, vt si finis à se distincti capax esset, obiecti sui executionem finem fortiretur: quæ etiam ratio non minus in cognitionem practicam Dei quam nostram conueniunt. Vel demum cognitio practica, duplicem habet relationem ad praxim, aliam principij actiui, aut quasi actiui ad terminum agibilem, aliam medijs ad finem exequibilem propter quem ordinatè expeti possit, duplicem inquam hanc relationem habet cognitio practica ad praxim, vel formaliter vel eminenter: cognitio creata eas habet formaliter: cognitio increata alteram formaliter, alteram eminenter: siquidem formaliter est efficax comparatione praxis creatæ, & cum hæc efficacia sit infinita virtute, & eminenter, ac sublati imperfectiōibus continet aliam relationem, videlicet medijs ad finem.

18 Alia obiectio ad hominem ita se habet. Cognitio Verbi diuini est practica respectu illius, vt hoc tractatu decurrende constat: at Verbum non est eius finis: sicut enim nulla persona diuina alterius causa efficiens esse potest, ita similiter alteram alterius finem esse repugnat. Respondeo, aliud est esse finem, aliud causam finalem, sicut aliud est esse materiam animæ subiectam, aliud causam materialem animæ, sicut in anima rationali nostro corpori vnita visitur: causa finalis postulat distinctionem realem, ac prioritatem naturæ respectu effectus finalis, quæ distinctio, & prioritas nec Verbo cognitionis à qua originem trahit, nec alicui personæ diuinæ comparatione vltius prædicati diuini conuenire possunt: at finis, nec

prioritatem, nec posterioritatem naturalem, nec distinctionem, aut instinctionem realem exigit, sed alterutram compatitur, ita vt idem respectu sui finis esse possit, vt expressè docet D. Thomas de prædicatis etiam absolutis Dei, & ne relatiuè quidem distinctis 1. contra gentes cap. 87. & quaest. 1. de pot. art. 5. & quaest. 2. art. 1. ad 12. igitur à fortiori vna persona respectu alterius potest esse finis, esto non principium efficiens, atque adeo Verbum finis esse poterit cognitionis paternæ à qua procedit.

19 Tertiam obiectionem mouet Scotus quaestione 4. prol. ibi nobis contrarius: aliqua intellectio est practica respectu praxis potentia inferioris, vt cum prudentia, aut scientia moralis actus potentia sensitiua, aut loco motiua ordinat: at actus potentia inferioris nequit esse finis intellectiōis, eò quod illa ignobilior sit. Respondeo: finis est duplex: qui, & cui: finis cui fortè semper nobilior, & præstantior est eo quod finalizat, qua ratione medicina sanitate præstat, & voluntas, & intellectus intellectiōes, & volitiones suas perfectiōne superant. Caterum finis qui suapte natura nobilior non est, eo cuius finis est: nam sanitas est finis qui medicinæ, qua tamen ignobilior est, cum hæc habitus incorporeus, illa verò corporeus sit, & hæc animam illa corpus perficiat. At praxis est tantum finis qui notitia practica: igitur quod ea ignobilior sit non obstat, quo minus eius finis esse possit, sicuti nos finem explicamus.

20 Quartò argumentaberis, ex Ochamo quaestione 4. prol. articulo 2. Gabriele quaestione 11. articulo 1. notat. 2. & Gregorio quaestione 3. articulo secundo, vbi censent, cognitionem practicam differre à speculatiua obiecto non fine tenus, tantumque sufficere ad notitiam practicam, vt sit circa rem operabilem, tamen in eius executionem, velut finem neutiquam referatur. Fieri potest, vt inter eos, qui philosophiam moralem, verbi gratia, addiscunt, alius exercitium bonorum actuum, quod considerat, finem habeat, alius verò non eum, sed alium finem prauum lucri, aut inanis gloriolæ respiciat, vel etiam in sola eorum actuum contemplatione sistere intendat. Item vt vnus, & idemmet homo operam det ei facultati, modò propter executionem virtutis, & honestatis moralis; & postea animum mutet, eamque lucri, famæ, aut solius etiam contemplationis gratia pergat addiscere: Quapropter, si finis cognitionis, illam practicam aut speculatiuam arguit, atque huius est discriminis potissima ratio, disciplina moralis in vno erit practica, & in alio speculatiua, quin etiam in vno eodemque iam practica, iam speculatiua deprehendetur. Idem etiam continget Dialecticæ, idem medicinæ, & ceteris facultatibus seu mechanicis, seu ingenuis: nihil igitur erit fixum, nihil stabile in modo representandi practico, ac speculatiuo, & vter cuius disciplinæ conueniat, dubium semper manebit, utpote quod magis arbitrio, quam ratione, ac natura constet, atque singulis momentis, & etiam circumstantiis personarum variatur. Hoc autem quam absurdum sit, & per se patet, & exemplo quoque claritatis, & obscuritatis, quas alternis vicibus mutare nequit vlla cognitio, nisi si etiam eius substantia vicissitudinem subeat.

21 Propter hoc argumentum oportet in præsenticontrouersia distinguere cum P. Suarez t. 2. Metaph. d. 44. f. 13. n. 35. & P. Vasquez t. 1. in 1. p. q. 1. art. 4. d. 8. c. 5. n. 24. & 25. Superius citatis duplicem finem, alium scientis, alium ipsius scientiæ:

Hh 4. prior

prior finis est propter quem aliquis actu scientiam experit: posterior est duntaxat obiectum scientiæ, propter cuius executionem, aut assecutionem, ea est expeti digna. Quamvis autem Caietanus 1. parte q. 4. art. 6. Feitara 3. contra gen. c. 20. Soncin. 6. met. q. 4. lauel. q. 5. alique plures Thomistæ, & cum iis Aureolus q. 3. prol. art. 2. & Vasq. nuper citatus existiment, cognitionem practicam à speculatiua utroque fine differre, deque illius conceptu esse, ut voluntas eam in executionem sui obiecti non modò possit referre, sed etiam actu referat, & dicendi laborem hoc respectu aggrediat; Ceterum longè probabilius est oppositum, videlicet, solius scientiæ finem sufficere, ut ea practica magis quam speculatiua, aut è conuerso euadat. Primo quoniam Aristor. lib. 6. met. & etiam eius lib. 11. distinctionem notitiæ practicæ, & speculatiuæ petit solummodo ex utriusque obiecto, locis vero initio capitis huius relatis eam sumit ex utriusque fine. Hæc autem Aristotelis testimonia sibi primo aspectu contraria facile conciliari possunt, ut animaduertit l'ereira supra cap. 3. Si fateamur, Aristotelem loquutum fuisse de solo fine ipsius scientiæ, ut pote qui cum eius obiecto idem prorsus est. Sin autem ei sermo fuit de fine, non tantum scientiæ, sed & scientis, difficilem, imò nullum habet explicatum: namque finis scientis non est duntaxat obiectum scientiæ, sed multo maximè eius voluntatis, qua quis eam consequi intendit: non potuit ergo Aristoteles modò per finem scientiæ, & ipsius scientis, modò verò per obiectum scientiæ duos illos representandi modos secernere, nisi si sibi parum conster, nec solum ipse, sed plerique eius interpretes, qui nimirum iam penes fines, iam penes obiecta notitiam practicam à speculatiua dilucidant. Rursus intellectus est, qui ab Aristotele, & cæteris diuiditur in practicum, & speculatiuum, haud igitur habet alteram denominationem potius quam alteram ab actu voluntatis, quo velit, quouè nolit quis uti scientia sua ad operandum: alias tales differentiæ, non tam essent ipsius intellectus, quam voluntatis: parique iure, aut potius iniuria dici posset, cum diuiditur ab omnibus ferè Philosophis intellectus in agentem, & patientem; reuera in actum aliquem voluntatis utramque denominationem refundendam esse, contra quam cuncti sentiunt. Item tertio: ante voluntatis intentionem quamuis, vna notitia essentialiter dissidet ab alia, & altera est executiua sui obiecti, ac propter eius executionem eligibilis, altera verò neutrum habet; quidni ergo merito huius præiij discriminis vna sit practica, & alia speculatiua circumscripto quolibet voluntatis actu. Ad hæc, tametsi plures aduersariorum iuxta sua principia concedant, vnam eandemque facultatem solere esse iam practicam, iam speculatiuam, aut in diuersis hominibus, aut in diuersis temporum intervallis; quam tamen hoc absurdum sit, quantum illud argumentum nuper obiectum ostendit. Denique si quod cognitio practica aut speculatiua sit, hoc à voluntatis electione, & arbitrio emendicat; quidni astronomia v.g. aut quæuis alia similis facultas, circa obiectum non operabile, practica nihilominus sit, videlicet propter id quod voluntas eam multoties intendit, ob acquisitionem lucti, voluptatis, honoris, adeoque ob operationem aliquam, licet tali scientiæ non subiectum, sed potius ab eius consideratione omninò alienam. Atqui hoc, nisi fallor ego, falsum esse, ne ipsi aduersarij differebantur. Quapropter ad argumentum proximè factum respondeo, eo solum virgeri, qui notitiam practicam à speculatiua penes fi-

nem scientiæ, & etiam ipsius scientis distinguunt. At ipse secundum solius scientiæ finem alteram ab altera distinguendam arbitror, cum P. Suarez supra citato, Fonseca Pereira, & aliis multis, quos refert, ac sequitur Auerfa q. 27. log. f. 1.

Quintum argumentum aduersus nostram sententiam est, iuxta eam plus aliquid requiri ad notitiam practicam, quam ut sit executiua sui obiecti, fierique posse, ut cognitio aliqua directiua sit ad effectiōnem rei sibi propositæ, quin respectu illius sit practica, si nimirum res exequenda non habeat eam bonitatem, aut utilitatem ratione cuius scientia eligi mereatur, ut in Metaphisica, Mathematica, & Philosophia vsuenerit diximus. At repugnat, cognitionem illam esse obiecti sui effectiū, quin huius efficacitatis titulo practica euadat: talis enim notitia non sinit in sola contemplatione sui obiecti, sed ulterius ad eius exercitium proficiscitur; quæ ergo non sit practica, aut quæ duntaxat speculatiua? Respondeo, cuiusmodi cognitionem sistere in sola obiecti sui contemplatione quiescere: namque si ad illius executionem veluti finem neutiquam progrediatur, adeoque esse merè speculatiuam; Nec nisi in hoc sensu notitia, aliqua speculatiua dicitur in obiecti sui contemplatione quiescere: namque si huiusmodi sine vlla restrictione sumatur, & quomodolibet verba sonant, nulla cognitio non erit practica, nulla speculabitur: quæ enim excogitari potest magis speculatiua quam visio Dei? ac hæc quodammodo non sinit in sola contemplatione Dei, sed ulterius ad eius amorem procedit, illumque in intellectu Deum videntis accendit; ea ergo verba sine restrictione non sunt intelligenda, restricta autem locum relinquunt explicandi, ac tuendi, quatenus aliqua cognitio sit aliquando executiua sui obiecti, & nihilominus respectu illius speculatiua, & non practica, sicuti initio capitis statuiamus.

Sextum argumentum aduersus nostram sententiam est, Mathematicas etiam esse practicas; iis si velit aliquis uti, ut quantitatem continuam in circulum conuoluat, in quadrum redigat, in conum acuminet, aut in aliam quamvis figuram accommodet. Idipsum, quoque dicendum esse de Metaphisica, si quis eam cogitet ad entis, substantiæ, aut accidentis effectiōnem, neque non similem esse conditionem scientiæ, animasticæ, quam Philosophiæ naturalis partem iam permitto, quoniam id an oppositum dicatur, ad præsens institutum parum interest, si in sola cognitione actuum intellectus & voluntatis non sistat, sed insuper ad eorum executionem voluntatis arbitrio applicetur. Sin autem Philosophia naturalis de actibus intellectus, & voluntatis agit, nihilominus ea quidni sit practica respectu caloris v.g. quem applicato passo produci cognoscit, aut motus recti, quem linea recta, & non alia fieri præsenbit, aliorumque similium. Nec refert Philosophiam naturalem, seu Physicam, necnon Metaphysicam, & Mathematicam absolute dici speculatiuas ab Arist. 2. Metaph. tex. 3. & reliquis Philosophis: hoc enim non eo valet, ut dictæ facultates nullos habeant actus practicos habent enim non paucos, sed quod præcipui earum habitus sint speculatiui, & circa res actioni neutiquam subiectas, ut de Physica animaduertit P. Hurtad. in illius præf. §. 7.

Quæ, ut ab ea incipiam, maiori, & meliori sui parte versatur circa celos, elementa, animalia omnia, locum, tempus, infinitum, vacuum, quæ tamen sub solam eius considerationem, non vero actionem cadunt, Quin etiam cum motum, calorem, frigiditatem

22

23

24

tatem, aliqua eiusmodi philosophus naturalis cognoscit, eorum aliqua non omnia potest ex equi, quis enim omnem motum, quis quemuis calor gradum quantumuis excellentem efficiat etiam res rebus applicando; cum tamen motuum species innumerae, & calor semper crescentis infiniti gradus sint possibiles. Rursus metaphysica circa Deum, Angelum, & eorum proprietates nullam habet efficacitatem, cum tamen in his explicandis multa sit. Reliquorum etiam quae considerat, scilicet entis, substantiae, accidentis, & similem graduum superiorum quoramquamque partem instar causae directivae valeret operari. Par ratio est mathematicae, cuius vi, & directione, tametsi multae figurae queant formari, at longe plures imò infinitae sunt, quae propter earum magnitudinem pene immensam, aut exiguitatem nobis planè imperceptibilem, aut operosissimam ac summe artificiosam dispositionem, aut denique sublimitatem materiae, & cum ea coniunctam impassibilitatem, supra nostram mathesim sunt eiusque vim excedunt. Quamobrem etsi metaphysica & mathematica magis sint speculativae quam practicae, eas tamen esse prorsus speculativas & praxis nihil intueri perperam assumpsimus, ac nostrae sententiae hunc veluti cardinem supposuimus.

25. Ceterum non pœnit, ineunte capite supposuisse tres illas facultates esse omnino speculativas, & nullatenus practicas: arbitror enim hoc receptum, atque commune scholasticorum omnium dogma esse, si paucos neotericos excipias: Atque de metaphysica quid P. Suarez, quid apud ipsum alij sentiant, colligere licet ex his eius verbis disp. 1. met. sect. 5. num. 4. *dicendum est, doctrinam hanc nihil habere practicae scientiae, sed tantum esse contemplaticam. Ita sumitur ex Aristotele & aliis expositoribus, nam licet expresse non attingant hanc quaestionem, tamen dum simpliciter docent, hanc scientiam esse speculativam, & aut tacent de practica, aut certe id negant, planè sentiunt esse purè speculativam.* Idipsum etiam de ea sentit, & Aristotelem, ac plerisque sentire docet P. Hurtad. disp. 1. metaph. sect. 9. §. 86. qua tamen doctrinae consequentia, postquam loco nuper citato dixit physicam esse quadantenus practicam, ipse viderit. Profecto physicam in speculatione totam esse positam, & nihil habere practicae facultatis, eruditissimi PP. Collegij Conimbricensis in proœmio physicorum quaest. 3. art. 2. ad tertium & opinantur ipsi, & eiusdem opinionis fuisse referunt initio art. Aristotelem, Platonem, Augustinum, Boëtium, Hugonem, Victorinum ac ceteros Philosophos vno consensu. Quod ad mathematicam attinet, Proclus, Clavius noster in prolegomenis ad Euclidis elementa, abique eius disciplinae professores communiter eam diuidunt in duas partes, quarum altera, eaque iuxta ipsos, prima, & praecipua quantitatem continuam, ac discretam prout ab omni materia sensibili abstractam respicit, & Geometriam, & Arithmetica, coërcet, altera vero Materiam sensibus obnoxiam attingit, & Astrologiam Perspectivam Geodesiam, Musicam, siue Canonicam, Supputatricem, siue Arithmetica practica, ac tandem Mechanicam, complectitur. At Philosophi contractius loquuntur, & solam eam facultatem appellant Mathematicam, quae in rebus ab omni materia sensibili separatis versatur, reliquas autem circa materiam sensibus obuiam occupatas, vel ad Physicam reducunt, vel non Philosophiae partes, sed ingenuas aut serviles artes, nominant. Mathematicam ergo, prout à Philosophis sumptam, omnino speculatiuam initio capitis censui, ipsumque id omnes ferme auctores censuisse reor: an autem laxius

vsurpata dicenda sit prorsus speculatiua, aut aliquatenus practica, non laboro. Quamquam hoc certum habeo, tres posteriores eius species, Canonicam videlicet, Supputatricem, & Mechanicam omnino practicas esse: id tamen nostrae, & communi doctrinae non repugnat, ut intuenti cuius erit exploratum.

26. Quod autem in argumento dicitur primo, Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam speculativas esse, dummodo nullus eis ad operandum uti velit, practicas verò, si non otiosae maneant, sed ad opus aliquod adhibeantur, praeterquam quod supra impugnatum est, id insuper habet incommodi, quod nullus habitus esset omnino, & essentialiter practicus, qualis enim cunque sit, eo si quis uti nolit ad operandum, speculatiuus abibit. Consequens autem est absurdum; sicut enim sunt habitus speculatiui, qui nequeunt esse practici, ij v.g. quibus Deum cognoscimus, & amamus, quidni etiam è conuerso? Rursus quod secundo loco dicitur, praedictas disciplinas absolute dici speculativas, & non practicas, quoniam denominati debent ab eo quod in illis praecellit, haud magno opere diluitur: etenim ut ut hac doctrina locum habeat in Physica, & Metaphysica, quae pleraque rerum genera sibi subiecta tantum speculantur, eaeque non sunt operando, at in Mathematicam non conuenit: illa enim omnes figuras sibi subiectas, omnes itidem numeros efficere potest, si non in omni, at in aliqua saltem materia, etsi non quoad quamlibet speciem & rationem particularem, at quoad rationem genericam, & communem: Tam igitur erit practica, ac Dialectica, quae definitionem, diuisionem, & argumentationem non cuiusvis intellectus, sed alicuius, nec humani, sed Angelici conficit, & quae ne omnis etiam cognitionis humanae principium esse potest, sed earum solum, quarum capax est, is qui artem dialecticam exercet: haec autem paucae sunt comparatione earum, quarum est incapax; tum quia infinitae res sunt adeò abstractae, & reconditae, ut viribus naturalibus nostri intellectus nequeant finiri, distribui, & demonstrari: tum etiam quia intellectio nostra iuxta plures in modo sita est, & Petrus v.g. praeter suam, nullam aliam potest etiam diuinitus immanenter efficere, adeoque nec Socraticam, nec Platoniam, nec Zenonisticam, nec vllius alterius hominis in infinitum. Quomodo ergo logica nihilominus absolute practica censetur; (exemplum pono in hac facultate, quod tamen ex quauis alia practica peti potest, si quis talem esse logicam renuat) quoniam munere illius potest quis absolute definire, diuidere, & argumentari; cur etiam de Mathematica idipsum non sit dicendum: quandoquidem triangulum, quadrum, circulum, & reliquas figuras merito illius absolute describere possumus: friuolum igitur est hoc secundum discrimen, nec superiori solidius.

27. Quapropter communis, ac recepta inter omnes ferme doctrina statuens, tres illas disciplinas esse omnino speculativas, facile potest defendi: adeoque magis est, ut eam quam contrariam sequamur, propter id quod in vfu vocum, de quo solo disseritur modo, plurimum, & antiquiorum arbitrio sit standum: praefati ergo dogmatis tuendi gratia iure hactenus laborauimus. Verumenimvero dissiteri non possumus, satis probabilem, & aptum esse modum loquendi recentiorum, quorum alij cum P. Hurtado nuper laudato Physicam, alij Mathematicam, & etiam Metaphysicam quadantenus practicas appellant. Hoc autem statuto, quauis cognitio practica erit respectu eius obiecti, erga quod efficacitatem habet aliquam, cuiusve producendi principium esse potest, atque origo.

origo. Neque vero hoc contrarium est nostræ doctrinæ, qua cognitionem practicam non modo per obiectum, sed etiam per finem exposuimus. Bifariam enim intelligi potest, rem cognitam, & cognitionis vi exequibilem eius esse finem: primo ut cognitio prudenter queat à nobis eligi, & quancunque temporis, & laboris impendio comparari propter rei cognitæ executionem: hac autem ratione non semper est finis cognitionis obiectum vi illius operabile, quæ nimirum est multoties talis operationis facilitas, utilitas, ac inutilitas, contra vero cognitionis in eam intentæ præstantia, & dignitas, ut initio capitis disputauimus. Secundo finis latius sumitur pro omni eo ad cuius exercitium quantumvis facile, & ignobile, res tamen suapte natura creata est, atque instituta, iuxta communem paramiam: *esse est propter operari*: hoc autem sensu cognitio temper habet finem illud obiectum, cuius efficiendi principium esse potest. Quæ cum ita se habeant, per finem primo modo sumptum notitia practica & speculatiua sunt explicandæ, si iuxta communem penè omnium sententiam Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam speculatiuas omnino esse velimus. Sin autem eas quadantenus practicas malumus, nec recentem loquendi modum auersamur, finis secundo modo usurpandus est, atque per eum ita usurpatum explicari debet, qualis cognitio sit practica, qualis speculatiua. Nostris certè principiis utraque sententia quadrat, & quamuis prior nobis magis placeat, posterior tamen non omnino displicet.

CAPUT III.

De Praxi penes quam notitia practica, & speculatiua differunt.

28 **Q**uoniam praxis est obiectum notitiæ practicæ, & non speculatiuæ necesse est, eam ad amissum explicare, quo uterque ille representandi modus magis illucescat. Vnde assero primo: Praxis ut sic non est actus alterius potentie ab intellectu naturaliter posteriori intellectiōne, natus elici conformiter rectorationi ad hoc ut sit rectus, non est inquam necessario, ita ut actus intellectus esse nequeat. Hæc assertio est aduersus Scotum quæst. 4. prolog. cuius est superior definitio, & Antonium Andream, & reliquos eius asseclas. Item aduersus Sorum in Logica quæst. 4. proem. & Masium quæst. 10. & aliquos alios Thomistas. Cæterum probatur primo: actus voluntatis, præsertim moraliter bonus, quo quis intellectiōnem imperat, est praxis: ergo & intellectiō imperata erit praxis. Antecedens est perspicuum: tum ex definitione ipsius Scoti: tum ex iis quæ subdit ibi: *Praxis ad quam extenditur habitus practicus non est nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus*: tum demum quia alioqui nec scientia moralis, nec prudentia forent practica, utpote quæ tantum non totæ sunt circa actus voluntatis. Consequentia probatur: intellectiō sic imperata ab eo imperio bona denominatur, quidni etiam ab eo praxis dicatur? aut cur bonitatem potius quam rationem praxis in cognitionem refundere possit ea volitio. Dices ex Scoto ibi: *Cum igitur dicitur intellectiō est imperata, ergo est praxis, non sequitur, sed sequitur, ergo est praxis, vel practica*. Contra: quoniam nequit eadem intellectiō respectu eiusdem esse simul practica, & speculatiua: ac fieri potest, ut intellectiō nostra imperata sit speculatiua, si verbi gratia, sit circa Deum, aut Angelum: haud igitur erit practica:

ergo praxis, cum alterutrum necessaria ratione sequi Scotus fateatur.

29 Confirmatur primo: quia actio exterior, ac proinde actio intellectus ab actu voluntatis recto dimanans habet iuxta Scotum quodlib. 18. art. 3. bonitatem moralem, & vim meritoriam distinctam ab actu voluntatis, & ei superadditam: igitur etiam proinde distincta ab actu voluntatis praxis esse potest, & debet. Confirmatur secundo: quoniam actus voluntatis elicitus, & imperatus est verè praxis, ut Scotus loco supra citato admittit; & tamen hic posterior est praxis ab actu, quo imperatur, & ille prior à cognitione practica, qua dirigitur, ut Scotus contendit ibidem; *communiter conceditur, cognitionem practicam extendi ad praxim, ut directiūm ad directum, & regulatiūm ad regulatum*. Hæcenus ille: similiter igitur intellectiō ab actu voluntatis se priori poterit dici praxis. Confirmatur tertio: quoniam actio exterior videlicet potentie loco motiuæ est praxis verè, & propriè, aliàs ars saltandi, citharizandi, pugnandi, scribendi practica non forent: at eiusmodi actio duntaxat est praxis mediante voluntatis actu, quo imperatur: ergo etiam actio intellectus ab imperio voluntatis strictè praxis nominabitur.

30 Probatur secundo ratione communi. Philosophia moralis est practica; sed actus intellectus non minus quam voluntatis considerat: non minus igitur illi, quam hi notitiæ practicæ obiciuntur, ac proinde ambo rationem praxis ex æquo participant. Minor probatur: actus prudentiæ est actus intellectus, cum prudentia virtus intellectualis sit, scientia autem moralis considerat actus prudentiæ, sicut & cæterarum virtutum moralium. Porro esse practicam est Aristotelicum dogma, cui Scotus cum aliis aduersariis consentit. Idem argumentum instaurari potest in dictamine prudentiæ, quod in his circumstantiis studendum præscribit: at dictamen prudentiæ proculdubio practicum est: ergo & studium ad intellectum attinens praxis. Dices Philosophiam moralem, & prudentiam immediatè non dirigere ad actus intellectus, sed solius voluntatis: quare actus intellectus propriè, & immediatè praxim non esse. Contra primo: quoniam saltem mediatè praxis esse poterit: id autem sufficit, ut verè & propriè praxis rationem obtineant, ut nuper triplici confirmatione dicta ostendunt. Contra secundo: quia praxis est obiectum notitiæ practicæ, ut infra constabit: at actus intellectus est obiectum immediatum dictaminis practici prudentiæ, quæ in his circumstantiis studium dictat: ergo est immediatè praxis, etiamsi ad hanc requiratur immediatè dirigi ab aliqua cognitione eive proximè obiecti. Minor probatur: idem est obiectum cognitionis, & volitionis studendi: at volitionis studendi studium est immediatum obiectum: ergo & cognitionis practica & prudentis: ac proinde hæc instar obiecti ad studium, actumque intellectus immediatè dirigit.

31 Obicit primo Scotus: intellectus extensione fit practicus, ut fert commune proloquium: at non alia de causa, nisi quia tunc intellectus est practicus, cum ad actus alterius potentie se porrigit, atque extendit. Respondeo admissio illo modo loquendi, quem cum Patre Hurtad. distinct. 2. Logicæ sectione 2. §. 10. Auerfa libro 27. Logicæ sectione 3. & aliis reicere possem, intellectum etiam extendi ad suos actus, quando non in eorum contemplatione sistit, sed ulterius ad eorum executionem progreditur, sicut etiam intra limites suorum actuum discurre dicitur: quamobrem penes eos practicus esse poterit, si cætera non desint.

Obicit

32 Obiicit secundò Sotus: omnis actus intellectus est speculatio: sed speculatio nequit esse praxis: nullus igitur actus intellectus potest esse praxis. Respondeo primò negata maiori: quoniam actus intellectus practicus speculatio non est. Secundò negata minori: quoniam cognitio quæ respectu sui obiecti est speculatio, comparatione actus quo cognoscitur, praxis esse potest, videlicet si ad eius effectiōnem dirigat, vt rectè notat Gabriel quæst. 10. prologi collario 3. & quod caput est, B. Thomas 2. 2. q. 47. art. 2. ad 2. his verbis: *Ipse actus speculatiua rationis, secundum quod est voluntarius, cadit sub electione, & consilio, quantum ad suum exercitium, & per consequens cadit sub ordinatione prudentiæ, sed quantum ad suam speciem prout comparatur ad obiectum quod est verum, necessario non cadit sub consilio, nec prudentiæ.* Ecce docet, speculatiuam cognitionem electioni, consilio, & ordinationi prudentiæ subesse, adeoque praxim esse. Respondeo terriò, distincta maiori: omnis actus intellectus est speculatio formalis quodammodo, non tamen est speculatio obiectiua, praxis autem speculationi obiectiua non formali opponitur, atque adeo actus intellectus praxis esse poterit.

33 Afferò secundò: Praxis non est actus solius intellectus, sed cuiusvis alterius facultatis. Hac assertio est contra Durandum quæst. 6. prolog. numero 5. & Bachonum quæst. 4. art. 2. vbi aiunt, praxim esse solam cognitionem ab habitu practico dimanantem, ac suapte natura directiuam vltioris operis. Quantum tamen hallucinentur, constat: tum quia omnes ferme artes mechanicae, & etiam liberales sunt practicae: at pleraque sunt circa actiones exteriores: hæc ergo obiciuntur notitiæ practicae, eiusque vi exercentur: quidni ergo notionem praxis participant? tum etiam quia philosophia moralis, & prudentia sunt practicae: habent autem pro obiecto, si non vnicò, at potissimò, actus voluntatis quos ad honestatem moralem informant: huiusmodi ergo actus sub directionem cognitionis practicae cadunt, sicut ad praxim oportet. Terriò praxis est illa operatio, quæ obicitur notitiæ practicae, ac vi illius exercetur, vt mox clarebit: at cognitio, ab habitu practico proficiens, non obicitur notitiæ practicae nempe sibi ipsi, nec etiam alij per se loquendo: talis ergo cognitio per semetipsam duntaxat, & sine ad aliam notitiam actualem sibi præuiam non est praxis vt aduersarij contendunt. Quartò denique: aliud est, cognitionem aliquam esse practicam, aliud eam esse praxim, etiam si ambæ rationes aliquando per accidens in eandem notitiam concurrant, sicut iuxta laudatos auctores in ipso habitu practico & operatiuo, vnde manat cognitio directiua vltioris operis, aliud est talem habitum esse practicum, aliud esse praxim: & prior denominatio ei est essentialis, & necessaria, posterior vero ferè nunquam ei conuenit: cum ergo prædicta cognitio directiua sit practica more, & iure sui habitus, non est quapropter praxis esse debeat?

34 At ex doctrina Durandi, & Bachoni hæc pro eis argumenta existunt. Praxis, & speculatio sunt correlatiua, quemadmodum ratio practica, & speculatiua: & sicut se habet comparatione huius speculationis, ita & respectu illius praxis: at speculatio est solum cognitio orta ex habitu speculatiuo: ergo & praxis duntaxat cognitio ex intellectu, siue habitu practico oriunda. Item quod immediatè sit ex directione actus practici id iuxta nos est praxis: hæc enim ratione diximus, actiones transeuntes & exteriōres, neque non immanentes voluntatis praxes esse

quod igitur etiam immediatè sit ab habitu practico id praxis erit: cognitio autem directiua alicuius vltioris operis, immediatè efficitur ab habitu practico, nec ab hoc nisi illa mediante quidpiam aliud promanat.

Ad primum tamen respondeo: speculatio alia est formalis, videlicet cognitio quædam nostra, veritati, & non operi intenta: alia vero physica & obiectiua, scilicet res illa, quam speculamur, quo pacto visio in sacris litteris pro re visa multoties vsurpatur: hæc ergo posterior speculatio sola est correlatiua praxis, & cum ea proportionem, & comparationem habet, & è conuerso, secus vero illa prior. Hinc autem nihil sequitur, quod contrariæ sententiæ proferat, imò quod ei incommode non patum colligitur: nam quando praxis, quam obiectum notitiæ practicae esse statim constabit, totam suam analogiam, & proportionem habet cum speculatione obiectiua, siue re speculationi subiecta, sicut hæc non est aliquid immediatè productum ab habitu speculatiuo, quid est quod praxis habitus practici effectus immediatus esse debeat? Quandoquidem etiam praxi cum speculatione formali nihil commune, nihil æquiparabile, sanè quamuis altera sit cognitio manans ab habitu speculatiuo, non propterea oportet, alteram esse cognitionem ortam ab habitu practico, quin imò huius oppositum ex illo priori consequitur. Ad secundum respondeo, id interelle inter effectum immediatum habitus, & actus practici, quod huius obiectum sit etiam eius effectus: quidquid autem vtroque modo rationi practicae responderet hoc ipso est praxis, adeoque obiectum actus practici, siue res per eam cognita necessario est praxis. Atqui è contrario effectus immediatus habitus siue intellectus practici non est eius obiectum, vique, ac merito illius non tam cognoscitur quam producit, cum sit ipsa eius cognitio, quocirca non est praxis, cui nihil est penitus, aut essentialius, quam quod rationis practicae sit obiectum, & per eam cognoscatur.

Porro duplicem assertionem nostram tuentur B. Thomas, & Gabriel locis nuper citatis, Capreolus quæst. 2. prolog. conclus. 4. & plures alij Thomistæ Ochamus in prologo etiam sent. quæst. 4. articulo 1. Gregor. quæst. 5. art. 1. & ceteri nominales, item Aureolus quæst. 5. prolog. & antiquorum innumeri super eundem prologum. Post eos Fonseca 2. metaph. cap. 3. quæst. 2. sect. 3. Suarez disp. 44. metaph. sect. 3. num. 26. Valquez 1. part. disp. 8. cap. 5. n. 12. Molina 1. part. quæst. 2. art. 4. disp. 1. Pereira 1. phys. capite 2. Hurtadus disput. 2. Logicae sect. 2. Auerfa quæst. 27. Logicae sect. 3. Hi namque omnes docent, omnem operationem, siue intellectus, siue cuiusvis alterius facultatis praxim esse, vbi fiat ex directione cognitionis practicae eique obiciatur: quanquam iuxta aliquos eorum ne vtraque pars huius postremæ conditionis, sed tantum altera, nempe dirigibilitas ad praxim requiritur: hoc tamen ad præsens institutum nihil refert. Vide etiam P. Amicum in præfati, disputatione 4. quaestione 4. dubitatione 4. vbi vtramque assertionem nostram plurima vt solet auctoritate confirmat.

Afferò terriò: praxis debet esse obiectum cognitionis practicae. Hac assertio est aduersus Scotum q. 5. prolog. & sectatores, ac Soncinatem 6. metaph. q. 2. est tamen præter Capreolum quæst. 2. prol. reliquorum omnium, quos numero præcedenti citauimus, eosque inter Auerfam illam dicit manifestam esse, si bene intelligatur. A priori in hunc modum probatur: praxis est operatio illa, quam cognitio practica dicitur esse efficiendam: atqui talis operatio notitiæ practicae

practicæ necessaria ratione obicitur. Item secundò: nisi praxis debet esse obiectum notitiæ practicæ, sed satis est, ut sit affectus aliquis per eam elicitus, & non tam cognitus, quam exteriorē actionem ab intellectu cognitam imperans, ut Scotus, & ceteri aduersarij contendunt, profectò nulla cognitio erit omnino speculatiua, nulla non practica: quauis enim affectum aliquem in voluntate accendit, eamque vel à malo auerit, vel ad bonum stimulat: praxem ergo respicit. Ad hoc: actus voluntatis dicitur bonus, vel malus à sola bonitate, & malitia obiectiua, quas complectitur, & actus intellectus verus, aut falsus à solo obiecto in quod fertur: similiter ergo actus intellectus practicus, & speculatiuus respectu solius obiecti dicendus: atqui est practicus ab ordine ad praxim: hæc igitur necessariò est obiectum cognitionis practicæ.

38 Assero quartò: praxis debet esse obiectum operabile ab ipso cognoscente, vi eius notitiæ, qua illum dignoscit. Ita Suarez, Molina, Auerſa, Hurtadus supra citati. Item cum B. Thoma 1. part. quæst. 14. art. 16. Caiet. & plerique Thomistæ, etsi conditionem obiecti excipias, cetera Scotus quæst. 4. & 5. prol. eiusque discipuli. Probatur autem assertio hæc aduersus Algazelem lib. 1. philosoph. cap. 1. Gregorium quæst. 5. prolog. art. 2. & Fonseca 6. metaphys. cap. 1. quæst. 5. sect. 2. & 4. Notitia practica debet esse directiua operis efficiendi; aliàs erit pura obiecti speculatio: sed cognitio obiecti non operabilis à cognoscente ad eius effectiōnem directiua non est, propter id quod nemo dirigi possit ad rem impossibilem, siue ab ipso non operabilem: nequit igitur ea cognitio practica esse respectu talis obiecti, nec hoc praxis respectu eiusmodi cognitionis; horum enim alterum cum altero cohereret. Rursus id ipsum suadet: quoniam alioqui vniuersa philosophia, quatenus de creaturis agit, practica esset, cum sit de obiecto factibili, licet non à cognoscente: at eam penè totam esse practicam nullus, quem viderim, admittit, & vel quadantenus practicam esse plerique renuunt, ut superius ostendimus. Prior autem harum rationum, qua sumus vsi, posteriorem assertionis nostræ partem demonstrat: nisi enim praxis sit operabilis vi notitiæ practicæ, hæc ad illam directiua non erit, contra quam eius natura, & à speculatione distinctio postulat.

CAPVT IV.

An praxis, penes quam notitia practica, & speculatiua differunt, opus liberum esse debeat?

39 Libertas alia est contrarietatis, id est ad contrarios actus, verbi gratia, ad amandum, vel odio habendum: alia est contradictionis, hoc est ad actum, & eius carentiam ei contradictoriè oppositam, v. c. ad amandum & non amandum: verius ergo meo arbitrio est, ad praxim non requiri vllam libertatem contrarietatis, aut contradictionis. Ita P. Molina 1. part. quæst. 1. art. 1. disp. 1. §. ad id vero Hurtadus disp. 11. de anima sect. 2. §. 13. Auerſa q. 27. Logicæ sect. 4. prope medium Arriaga disp. 1. Logicæ sect. 4. subsect. 3. numero 53. & 54. Balthasar Tellez part. 3. summæ, tract. 2. n. 4. brevis adnotationis circa lib. 6. Item Christophorus Gilius tom. 1. in 1. part. lib. 1. tract. 5. cap. 2. num. 6. & apud eum Heruæus quodlibeto 1. quæstione 3. articulo 1. Mairon in 1. dist. 48. quæst. 2. art. 2.

40 Probatur autem prior assertionis nostræ pars: quoniam scientia Dei de creaturis possibilibus est practica, & consequenter earum productio praxis respectu diuinæ scientiæ: attamen ea productio non est libera Deo libertate contrarietatis, ea nimirum qua possit eas bene, vel malè producere, siue in eis producendis errorem committere, illumve procul habere; hæc enim est sola libertas contrarietatis, qua de auctores oppositi inferius citandi nobiscum altercantur: praxis igitur non debet esse contrariè libera, sed potius contrariam necessitatem interdum subit, sicut altera assertionis nostræ parte statuimus. Nihil est in antecedente probationis indigum, nisi quod scientia Dei respectu creaturarum possibilium sit practica: huius autem prima probatio sit: scientia illa Dei obtinet rationem artis contemplatione creaturarum possibilium: ut constat ex cap. 7. & cap. 8. Sapient. & reliquis quæ cap. 1. huius tract. allegauimus: neque non etiam, quia iuxta Aristotelem lib. 6. ethic. cap. 3. *ars est recta ratio factibilium*; quod autem Deus recta ratione faciat, quidquid creat, neminem nisi arthem arbitror negaturum. Atqui omnis ars est practica, vel circa quasvis actiones, vel saltem (quod nemo inficias ierit) circa exteriores, & transeuntes, resue in lucem productas; alioqui practicæ non erunt artes illiberales.

41 Vterius secundò eadem antecedentis nostri pars suadet: Deo prudentia inest respectu creaturarum, quas producit: sed prudentia est practica, & eius terminus praxis: creaturæ igitur intuitu Dei eas producentis aut id valentis praxes sunt, cum tamen in eis producendis errare nequeat, aut esse liber libertate contrarietatis. Minorem argumenti ait esse indubitatum, ac manifestum B. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 2. his verbis: *Ratio eorum qua sunt agenda propter finem, est ratio practica, unde manifestum est, quod prudentia non consistit nisi in ratione practica*. Maior autem probatur: tum quia Theologi omnes cum B. Thoma 2. 2. quæst. 49. & 1. parte quæst. 22. art. 1. inter partes integrantes prudentiæ statuunt prouidentiam, prout hæc est cognitio futurorum, anteaquam facta sint: id ipsum docuit Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 31. siue ut alij codices habent quæst. 61. item Cicero lib. 2. de inuent. parum ante finem: at in Deo prouidentia, est ut fide sanctum: ergo & prudentia: tum etiam, quia id liquidissima ratione tradit Scriptura Prouerbiorum 3. *Dominus sapientia fundauit terram, stabilivit celos prudentia*. Ieremias 10. *Qui fecit terram in fortitudine sua preparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit celos*. Denique quoniam prudentia est recta ratio agibilium iuxta Aristot. 6. ethic. cap. 4. & B. Thomam ibid. aut rerum appendarum, & fugiendarum scientia secundum August. lib. 1. de lib. arb. cap. 13. At veraque prudentiæ definitio in Deum conuenit respectu creaturarum, ut vero verius.

42 Quod argumentum in Deo secundum se consecimus idem conficere licet in Deo homine, siue in Christo Domino, eiusque etiam exemplo probari prior illa assertionis nostræ pars. Etenim Christus impos fuit errandi in hac vita, adeoque caruit libertate contrarietatis, qua de loquimur: non caruit autem cognitione practica, non praxi: fuit namque in illo ars, fuit prudentia; tum quia reliquis virtutibus moralibus pollebat, ergo & earum moderatrice prudentia; tum etiam quia id habetur Lucæ 2. de eo sic fantis, *stupebant autem omnes, qui cum audiebant, super prudentia & sapientia eius*. Quod autem nonnulli respondent huic, & superiori argumento, prudentiam, & artem in Deo, & Christo propriè practicas non

non esse, sed solummodo improprie, vocis est suffragium, quod sine vilo potest negotio praecludi. Nam primo eadem respondendi arte defendere esset, prudentiam, & artem proprie sumptas Deo, & Christo nec inesse, nec vquam inexistisse. Tum etiam ea distinctione praxis propriae, & impropriae eludi possent argumenta omnia quibus ipsi aduersarij actum intellectus praxim esse contendunt. Denique tam essentialia est prudentiae, & arti quod sint practicae, quam homini esse animal, quemadmodum ergo nullus proprie homo esse potest, quin eadem proprietate sit animal, sic etiam fieri nequit ut prudentia, & ars Deo, & Christo proprie insint, quin eadem proprietate, ac rigore practicae eis inexistant: at illud prius contrarij non negant; perperam igitur hoc posterius inficiantur.

43 Porro suadetur posterior nostrae sententiae pars: quoniam ad praxim aliud obiecto tenus non requiritur, quam ut sit quid agibile: sed operatio non libera contradictorie, nihilominus est proprie aliquid agibile, defectus igitur libertatis non obest, quominus praxis sit, ubi cetera requisita ex parte actus concurrant. Maior est Aristot. lib. 3. de anima, cap. 9. *Intellectus enim contemplatiuus nihil eorum quae sub actionem cadunt contemplatur, neque dicit quicquam omnino si sit fugiendum, aut prosequendum.* Et c. 10. seq. *Intellectus is inquam qui alicuius gratia ratiocinatur, quique principium est agendi, atque hic sine ab intellectu contemplatiuo differt.* Et 6. metaphys. cap. 1. *Circa actionem itaque, & quae in agendo posita sunt, prudentia, circa facturam, & quae in faciendo posita sunt, ars est.* Ecce ad praxim, siue intellectus practici terminum non aliud exposcit Aristot. quam ut sit aliquid agibile, siue ut sub actionem cadere possit, non inquam aliud ex parte ipsius rei, quae praxis dicitur. Minor certo certior est: actio enim in liberam, & necessariam diuidi consuevit: aliquid igitur non liberum est actioni obnoxium.

44 Alio quoque argumento eadem nostrae sententiae pars probatur. Operatio necessaria dirigibilis est à cognitione cui obicitur: praxis igitur esse potest. Consequentiam aduersarij non negabunt, nec poterunt, qui nimirum ut inferius constabit, operatione necessariam praxim esse nolunt, propterea quod ipsis nullatenus dirigibilis esse videatur. Antecedens suadetur: quoniam si Deus ageret necessitate naturae, & sine libertate ad vtramlibet contradictionis partem adhuc ageret per intellectum, & voluntatem, & naturae opus futurum esset opus intelligentiae, ut ex Arist. 2. phys. & plerisque eius interpretibus, & asseclis colligitur: potentia igitur necessaria, & determinata ad vnum, per intellectum, & voluntatem dirigi potest, ac proinde actio necessaria ei respondens dirigibilis est. Deinde Christus Dominus ad mortem oppetendam determinatus erat, supposito praecepto Patris: at cognitio praecepti eum ad moriendum, & Patri audiendum dirigebat: potentia igitur antecederet determinata ad vnum nihilominus dirigi sustinet: atque adeo actio necessaria, & destinata ad vnum est dirigibilis; siquidem eadem cognitio causam, & operationem eius dirigit; illam, ut agat, hanc ut agatur.

45 Haecenus egimus de libertate indifferentiae, quae opus esse, aut non esse potest, eaque tam contraria quam contradictoria: superest libertas à coactione, merito cuius opus est spontaneum, ac voluntarium, siue, quod instat, à voluntatis electione, vel imperio proficiscitur. Assero ergo, praxim non debere esse liberam hoc genere libertatis, id est non oportere ut sit voluntaria. Ita Pater Vasquez citata disputatione primae partis capite quinto, numero de-

R. P. Richardi Lyncei, *Philosoph. Tom. III.*

cimonono, ibi enim sicut: *Quamuis Logica sine electione dirigeret ad opera rationis, nihilominus hoc pacto practica esset appellanda.* Ita etiam Pater Balthasar Tellez tertia parte, summae philosophiae tractatu secundo, adnotat. breui numero quarto, namque ibi docet, omnem actum intellectus esse practicum non solum respectu cuiusvis amoris liberi, aut necessarij à se illari, sed etiam comparatione cuiusvis alterius actus intellectus quem quomodolibet dirigit, & hunc vicissim praxim intuitu illius: cum ergo fieri possit ut vnus actus intellectus immediate fiat ex directione alterius absque vilo imperio voluntaris, ut cum apprehensio euidentis alicuius obiecti eiusdem iudicium rapit, non solum non consentiente, verum etiam renitente voluntate, aut etiam quando iuxta plures Auctores praemissa euidentia, ne non assentiamur conclusioni similiter prohibent, profecto in his euentis dabitur praxis neuti quam voluntaria. Eodem modo, quo hic auctor, loquuntur alij antiquiores, & quidem multo consequentius, quam Scotus, & eius sectatores: quando namque ut ipsi fatentur, amor immediate dirigibilis à cognitione, hoc ipso est praxis, cur etiam cognitio immediate oriens ex alia cognitione, hoc solo, ac circumscripto quocunque alio, nequeat esse praxis? Rursus Durandus & Bachonius superius laudati, omnem cognitionem ex habitu practico immediate natam, adeoque eam quae ab illo indeliberate & inuoluntarie enascitur praxim esse volunt, quemadmodum cognitio ab habitu speculatiuo proxime producta, quantumlibet inuoluntaria, ab omnibus tamen speculatio dici consuevit. Hi ergo nostrae assertioni perspicue fauent; etiam si ipsi, & Pater Tellez iis illam principiis defendant, quae nobis magnopere non probantur.

46 Ratio verò huius assertionis non vna affertur potest. Principio enim, si ut Durandus, Ariaga, & alij Doctores putant, esset possibilis creatura merè intellectualis, & voluntate prorsus destituta, ea nihilominus posset practice cognoscere, praxis autem ei cognitioni respondens non foret voluntaria: haec ergo conditio non est de ratione praxis. Maior est in propatulo: quoniam ea creatura Deum, aliaque obiecta speculatiue posset: at speculatiua cognitio genere suo perfectior est quam practica; quandoquidem vltima felicitas nostra non practica, sed contemplatiua est: quidni ergo talis creatura, quantumlibet manca, & voluntatis expers, practice tamen plura cognoscat? item quia creatura illa ad praecauendos errores in intelligendo Logica instrui posset, imo ea egeret: Logica autem est practica, ut in loco ostensum est. Ac certe non conspicio, quapropter dictante prudentia, Deum esse amandum, merito suae bonitatis, amor immediate subsequens eiusmodi dictamen praxis esse debeat, potius quam definitio aut argumentatio, quas immediate ex praescripto Dialecticae docentis ea substantia voluntatis inops eliceret.

47 Secundum nostrae opinionis firmamentum esto. Quoniam fieri potest, ut eodem actu euidenter quis apprehendat, & obiectum ita esse, & etiam ita iudicandum esse: haec autem apprehensio euidentis obiecti, & iudicij de obiecto est practica intuitu iudicij, cum illud, & cognoscat, & causet: & tamen iudicium illud necessarium, & non voluntarium est, quae est apprehensionis praeuiae vinci nescia claritas, atque euidentia: terminus ergo cognitionis practicae, quem ea cognoscit, & efficit, interdum est inuoluntarius: talis autem terminus praxis est: haec ergo sub electionem, & impetium voluntatis haud semper

cadit. Hoc idem argumentum fieri potest in cognitione bonitatis illationis, qua quis ex aliquibus præmissis evidentibus evidenter sibi persuadeat, conclusionem sequi. Quartum esto: praxis non debet esse libera libertate indifferentie: cur ergo libertatem à coactione obtineat, aut, quod iuxta est, cur voluntaria esse debeat? Quintum: infra constabit, Verbum diuinum esse praxim, cum tamen eius productio non sit rigorosè, & antecederet voluntaria, ob id quod per intellectum, & non voluntatem procedit. Postremum argumentum sic se habet: ea de causa actus facultatum exteriorum praxes esse non possunt, nisi prius voluntariae sint, quia facultates illae imperio voluntatis suapte natura subditæ sunt, neque ab intellectu, nisi mediante voluntate dirigi sistent: at intellectus ab imperio voluntatis aliquando non dependet, ad hoc ut assentiat, & sine illo dirigi potest ab alio intellectu actu ad ferendum assensum: quin igitur actus intellectus sit voluntarius, praxis esse poterit.

CAPUT V.

Obiectiones aduersus doctrinam præcedentem remouentur.

48 **E**Nimvero nihil esse posse praxim nisi quod utramque libertatem contrarietatis scilicet, & contradictionis fortiatur, ac tale sit, ut in eo errari, & ab eo etiam superfederi possit, existimant multi, & graues auctores: præsertim verò Scot. quæst. 4. prol. Bassolis quæst. 7. & 8. Nicolaus Bonettus libro 2. metaphys. cap. 4. Theod. Smilingus in proem. Theol. quæst. 4. & alij Scotistæ Ocham. quæst. 4. prol. art. 2. Gregorius quæst. 5. articulo 1. Marsil. quæst. 3. artic. 2. Gabriel quæst. 1. o. artic. 1. Maior quæst. 9. Tolertanus quæst. 9. artic. 1. 2. & 4. Argent. quæstione 4. artic. 2. Henricus 1. part. summæ articulo octauo, quæstione tertia, Siluester in conflato quæstione secunda, articulo tertio, Ferrara libro 3. contra gentes cap. 35. Soncinas 6. metaphys. quæstione 2. Item Pereira 1. physic. capite 2. Fonseca 6. metaphys. cap. 1. quæst. 5. lect. 2. & 3. at vero P. Suarez inter horum sententiam, & nostram, quandam mediam seligit & libertatem contradictionis, non vero contrarietatis ad praxim exposcit: propterea enim 1. parte tractatu primo, libro tertio, capite quarto, processionem Spiritus sancti praxim sentiit, quoniam non est libera contradictioni: alia vero ex parte creaturas à Deo practicè cognosci indeque praxes esse admittit, cum tamen certo certius sit, non esse liberas contrariè, fierique non posse, ut Deus in earum molimine oberraret.

49 **P**rimum autem argumentum horum auctorum pro altera sententiæ suæ parte ex Diametro opposita ei doctrinæ, quam capite præced. primo loco statuimus, ita se habet. Operatio non libera libertate contrarietatis non est dirigibilis: ergo nec praxis: anteced. suadet: quoniam omnis directio est ad præcauendum errorem: at in operatione non libera libertate contrarietatis errari nequit: dirigibilis ergo non est. Respondeo, negato antecedenti, & maiore qua probatur: cuius falsitas in Deo & Christo Domino apparet, necnon in creatura rationali omnino impeccabili, quæ, si possibilis est, ut plures censent, in genere moris errare siue peccare nequit, & tamen ad moraliter operandum dirigi potest, si diuinitus existat.

50 **P**ro eodem instituto secundò sic arguitur: poten-

tia libera libertate contrarietatis sola est directionis capax: sola ergo practicè operatur. Antecedens probatur hoc pacto: potentia operatiua, aut est determinata ad rectè operandum, & ita nequit ad errandum dirigi, nec etiam ad rectè operandum: prior enim directio esset ad impossibile; posterior vero ad aliquid, quod independentè ab ea nequit non esse, ac proinde altera est impossibilis, altera non necessaria, & omnino superflua: aut potentia est determinata ad errandum, eademque arte ostendi potest, eam nec ad errandum, nec ad rectè operandum dirigibilem esse: alterius enim impossibilitas, & alterius quasi trabali clauo fixa necessitas omnem directionem prohibet: sola ergo potentia ad vtrumuis eorum indeterminata, & non necessaria quoad speciem contrarietatis actus directionis capax censenda.

51 **O**ccurrendum tamen huic argumento, potentiam utroque modo determinatam dirigi posse, videlicet ad rectè operandum, quamuis ad id sit antecederet determinata, & ad operandum cum errore, quamuis error ei sit antecederet inuitabilis. Etenim duplex est determinatio: alia radicalis, & quoad actum primum: alia formalis, & quoad actum secundum: facultas destinata formaliter, & actu secundo aliunde determinari, vel dirigi nequit; cæterum facultas destinata tantum radicaliter, & actu primo aliunde determinari, ac dirigi sustinet. Sic prædeterminatio efficax conuersionis liberæ Petri, verbi gratia, Deo si largienda est, seipsa actuque primo determinata est, ne in irritum abeat; & tamen conuersio libera Petri determinat actu secundo, & facit ne sit irrita. Sic etiam vnio hypostatica radicaliter determinata est, ne vnquam expellatur per peccatum, & nihilominus obedientia Christi determinauit actu secundo, & fecit ne expelleretur. Sic denique omnis potentia necessaria positis omnibus requisitis, ad suum effectum remote destinata est, eique astricta; & tamen actio superueniens eam proximè cum effectu connectit. Quocirca cum potentia non libera libertate contrarietatis, nec ad errandum, vel rectè & inoffense operandum indifferens, hoc ipso tantum sit determinata radicaliter ad alteram partem, non est quapropter ad eam determinari formaliter, deniqueque dirigi nequeat, sicut ad praxim oportet.

52 **A**rguitur tertio pro eodem instituto: frustra & inutiliter adinuenta esset ars aliqua, cuius munus esset docere quatenus intellectus verum ut sic cognosceret aut voluntas bonum ut sic amaret, aut utraque facultas in obiectum suum vitaliter tenderet: at non alia ratione, nisi quia circa bonum, & verum errare siue ab alterutro aberrare non possunt, fierique non potest, ut intellectus cognoscat aliquid non verum, aut voluntas amet aliquid nullatenus bonum, utve alterutra facultas non vitaliter progrediatur: ubi igitur nullum erroris periculum, nulla potestas; quoduis docedi munus est superfluum, & quæuis directio superuacanea: omnis autem notitia practica docet, & dirigit: nulla igitur est admitenda, nisi ubi potest aliquis error admitti. Respondeo: intellectus ab vno actu ad aliū dirigitur, v.g. ab apprehensione ad iudicium, & à præmissis ad conclusionem: at actus posterior verum respicit: intellectus ergo circa verum naturaliter dirigi potest. Item volūtas à cognitione ad simplicem complacentiam, & ab hac ad affectum efficacem dirigitur: complacētia simplex, & volitio efficax in bonū ferūt: volūtas ergo circa bonum naturaliter dirigi potest. Eadem ratione constat utramque potentiā dirigi ut vitaliter tendat. Naturalis ergo

ergo directio non repugnat, etiam ubi nullum est errandi periculum, nullaque libertas. Vnde potest aliqua notitia practica non acquisita, & inuenta studio, & industria humana, ut recte probat argumentum, & mox constabit, at naturalis esse circa obiectum, in quo operando nullum sit errandi discrimen, ad illudque naturaliter dirigere, eiusque effectiorem docere.

53 Aduersus alteram nostrae sententiae partem est regione oppositam libertati contradictionis, quam ad praxim exigunt auctores initio huius c. citati, sit primum argumentum desumptum ex Arist. 6. ethic. Ibi enim initio c. 3. sic ait: *Sunt utique, quibus verum dicit anima affirmando, vel negando, quinque secundum numerum. Haec autem sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, & intellectus.* Deinde paulo infra: *Contingentis autem aliter se habere est aliquid & factibile & agibile.* Mox etiam prosequitur: *Est autem ars omnis circa generationem, & artificiare & speculari, qualiter utique fiat aliquid contingentium, & esse, & non esse, & quorum principium in faciente, sed non in facto, neque enim de his quae ex necessitate sunt vel sunt ars est, neque de his quae secundum naturam, in seipsis enim habent haec principia.* Post haec c. 4. sic ait: *Videatur autem prudentis esse bene consiliari circa ipsa bona.* Et non longe infra: *Et non est consiliari de his quae ex necessitate sunt.* Ac tandem cap. 5. *Haec autem, scilicet ars, & prudentia, sunt existentes circa contingentia aliter se habere.*

54 Ex his Arist. testimoniis opponitur primò: quemadmodum omnis notitia practica est actiua, vel factiua secundum omnes, ita etiam omnis praxis est quid agibile, vel quid factibile. At iuxta Aristotelem nil sub actionem, nihil etiam sub factionem cadit, nisi quod est contingens, & aliter se habere non repugnans: contingentia igitur ac libertas saltem solius contradictionis ad quamcunque praxim est necessaria. Vltorius secundò: omnis notitia practica aut est ars, aut prudentia; Aristoteles enim initio laudari capitis tertij ethicorum omnem cognitionem veram (eiusmodi esse oportet eam, quae practica est, ut infra constabit) ait esse quintuplicem: tres ergo earum, quas memorat, cum tantum speculantur, videlicet scientia, sapientia, & intellectus, reliquum est, ut quae supersunt duae, ars nimirum, & prudentia sint practicae, & quae solae: ambas autem esse circa contingentia non semel edocet Aristoteles: omnis ergo praxis, siue quod eodem recurrit, cuiuscunque notitiae practicae terminus contingens non esse non potest. Ad haec tertio. Futilis esset ars aliqua, ad id solum adinuenta, ut verbi gratia, ignis semel accensus calefaciat, aut lapis super loco demissus in centrum ruat, videlicet quia operationes hae quadam naturae necessitate eueniunt; rursus haud censetur prudens, qui nil amat nisi bonum aliquod honestum, vile, aut delectabile, nilve nili quodammodo malum odio prosequitur, quoniam scilicet hi affectus sunt necessarii aliquos habituro, neque fieri potest, ut bonum non amet, malumque non oderit, qui circa alterutrum afficitur: solum ergo prudens merito audit ille, qui duntaxat bonum honestum amat, & turpe abhorret, propterea quod in his amplectendis, aut refutandis libertas sit, atque electio: recte ergo dixit Aristotel. nec artem, nec prudentiam, adeoque nullam cognitionem practicam reperiri circa ea quae sunt secundum naturam siue necessaria. Quarto denique id ipsum ex Aristotele probatur: ut enim non leuiter insinuat, ars opponitur naturae: huius autem opus est necessarium: ergo & illius liberum, saltem quoad exercitium, siue contradictionem. Prudentiae etiam munus, iuxta

R. P. Richardi Lincolni, Philosoph. Tom. III.

ipsum, est consiliari, consultatio autem est eorum, quae in nostra potestate sunt, atque arbitrio, quae sunt *contingentia aliter se habere*: quando igitur omnis & sola praxis obicitur prudentiae & arti, illam contingentem quodammodo esse oportet.

His ut satisfaciam animaduerto prius, praeter tres modos quibus ars supra capite primo, distributa est, duobus insuper eam secari oportere. Aliquando namque sumitur pro sola facultate operatiua naturae superaddita & studio atque industria à nobis quaesita; aliquando vero, pro facultate etiam naturaliter indita, & nullius operae pretio comparata. Vltimum satis artem distingui contra naturam, haud minus vltimum eam ita non distingui, sed potius naturam ipsam dici artificem & artificiosam, necnon artem naturalem. Ad artem priori modo magisque pressè sumptam respexit Horatius in arte

Natura fieret laudabile carmen an arte,

Qua situm est: ego nec studium sine diuite vena,

Nec rude quid prosi video ingenium: alterius sic

Altera poscit opem res, & coniuuat amice.

56 Ad artem posteriori modo, & magis laxè vsurpata respexit Zeno apud Ciceronem l. 2. de nat. deor. cuius ibi haec de eo sunt verba: *Zeno igitur ita naturam definiuit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum, progredientem via: censet enim artis maxime proprium esse creare & gignere, quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est ut dixi, ignem artificiosum magistrum artium reliquarum.* Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quandam, & seitam, quam sequatur. Ipsius vero mundi: qui omnia complexu suo coercet, & continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex, ab eodem Zenone dicitur consilatrix, & prouida utilitatum opportunitatumque omnium. Qua autem ratione artem, eadem prudentiam etiam diuidendam arbitramur in eam quae naturalis est, & non acquisita, cuiusmodi est diuina, & qualis esset quoque in impeccabili creatura, si diuinitus existeret, necnon in eam, quae industria, & labore à nobis comparatur, haud enim natura boni sumus aut prudentes

57 Hinc euanescent ex Aristotele rationes erutae. Ad primam dicendum est, omnem quidem praxim actionem, aut effectiorem esse: philosopho tamen verba fuisse non de quacunque actione & effectiione, sed de nostra tantum, id est ea, quae prudentiae & arti à nobis acquisitis obicitur, hanc autem fatemur esse contingentem, talisque contingentiae testis est experientia ipsa rerum omnium quas prudenter, quas solerter efficitur. At propterea non cogimur, actionem, & effectiorem alterius generis, ortamque ex prudentia, & arte non qua nos utimur, sed alia necessario operatiua praxim renuere. Ad secundam rationem dicendum est, immerito supponi omnem notitiam practicae esse artem, aut prudentiam, quae de loquitur Arist. lib. illo 6. ethic. Vnde enim constat, scientiam ibi ab arte, & prudentia distinctam, esse speculatiuam tantum, & non practicam? Profecto tam speculationes quam practicas demonstrationes complexu talis scientiae coerceri, multi, & graues auctores perhibent. Atramen contrarium esto verius, omnem scilicet notitiam practicam esse artem, aut prudentiam: quid tum? ut enim iam aiebam, non de omni arte, & prudentia sermo fuit Aristoteli, sed de iis solum, quae nobis industria nostra sunt ingeneratae: quamuis igitur haec non versentur nisi circa contingentia quoad exercitium, siue contradictionem, inde tamen non consequitur, omnes alias eius esse conditionis: adeoque locus est, ut plures res sint praxes, artique, & prudentiae alicui subiectae, tamen si ea

contingentia destituantur. Ad tertiam & quartam rationem similiter occurrendum est, eas non de omni arte, & prudentia, sed de nostris duntaxat procedere; quare hoc tantum concludere, praxim nostram, eamque quadam cum exceptione mox adhibenda, non verò omnem esse contingentem.

58 Porro autem, ut solutio tradita magis clareat, breuiter, atque cursim recensenda sunt praxes illae, de quibus Aristotelem cum in praesenti, tum etiam 3. de anima, capite 10. textu 51. aliisque locis nobis obiici solitis inficiamus esse loquutum, quasque propterea contingentes non admittimus. Prima omnium est Verbum diuinum, omnis quidem expertus contingentiae, & nihilominus praxis ut mox videbitur. Secunda est Christi seruatoris obedientia, quae praxis censenda, eo quod ex dictamine prudentiae profecta, necessaria tamen, & non contingens, ob praecceptum ei à Patre impositum, cui non potuit sine peccato contra stare: modus autem, quo obedientia illa fuit meritoria, & aliunde libera, nostri instituti non est, eumque proinde in suspensio relinquo. Tertia praxis, non omnis quidem, at eius contingentiae de qua sermo Aristoteli fuit expertus, est productio, & conseruatio plurium rerum à Deo distinctarum: quamuis enim omnes eius dominio, & arbitrio subdita sint, ab eoque possint quocumque temporis momēto in nihilum redigi, ceterum plurimae sunt necessariae, hoc sensu, ut nequeant ab eo non produci, & conseruari naturaliter loquendo, id est si vniuersum hoc suis legibus ire sinat, nullamque ei miraculosam violentiam inferat: etiam si autem naturaliter sint necessariae, ac non contingentes, adhuc praxes sunt respectu Dei, & ab arte illius emanant, ut supra c. 1. disputauimus. Quarta praxis non contingens, est creatura cuiusdam possibilis, cui vna ex parte prudentia, & ars sit connaturalis, ex alia etiam ei sit naturale, & omnino necessarium, vel pleraque, vel aliqua ex artis & prudentiae praescripto operari: quae enim huius creaturae potest esse repugnantia, aut contradictio? Postrema praxis contingentiae, & libertatis omnis inops in nobis etiam locum habet, non quidem in hoc, at in alio rerum euentu: fac enim aliquem nostrum sponte sua operaturum secundum regulas prudentiae, vel artis: quid vetat Deum praedeterminare hunc, ut secundum eas velit nolit operetur: talis autem operatio esset praxis, quia prudens, & artificiosa; at non contingens quoniam praedeterminata. Quo autem pacto Aristotelem hactenus, eodem non paucos auctores aduersus nos huius initio capitis adductos exponi posse arbitror: scilicet de aliqua praxi, non vero de omni, quoties ad eam, contingentiam exposcunt.

59 Arguitur secundo contra eandem nostrae sententiae partem. Operationes brutorum praxes non sunt: non alio nomine, nisi quia necessariae sunt, & libertatis expertes. Respondeo, practicum, & speculativum esse differentias intellectus, & ad summum voluntatis, ut constat ex Aristotele 3. de anim. text. 46. & 47. B. Thoma 2. 2. quaest. 49. art. 2. ac ceteris omnibus; quare bruta, ut intellectu, sic notitia practica & speculatiua carent: praxis autem notitiae practicae responder, & eius est obiectum: proinde mirum non est, quod operationes belluinae rationem praxis haud fortiantur. Aliam etiam eius rei causam supra reddidimus: quoniam videlicet praxis debet esse finis notitiae, seu cognitionis unde oritur: belluina autem propter finem non operatur. Denique: si cognitio belluina respectu alicuius obiecti efficax, & illud praxim, & se practicum denominat, etiam belluina cognitio obiecti quod exprimit neutriquam operatiuam, hoc ipso erit illius speculatio:

at quis dicat, belluas speculari cœlum, verbi gratia, aut sydera, aliave obiecta, quae non faciunt, sed suspiciunt.

60 Arguitur tertio aduersus eandem opinionis nostrae partem. Cognitio nostra circa nutritionem, & quo fit modum, est speculatiua, & non practica, aut artificiosa; aliās nutritio esset opus artis, & non naturae: igitur nutritio nostra non est praxis, siue obiectum notitiae practicae: at non alia de causa nisi quia est operatio necessaria applicatio alimento, necessitas ergo cum praxi non cohaeret. Respondeo, exemplum nutritionis, si quid valeret, probaturum, nullam actionem externam, nullam intellectionem esse praxim, quod & est contra ipsorum aduersariorum non paucos, & praeter philosophiam moralem nullam, nullamque scientiam practicae esse permittit, quo quid inficitur? Sequela probatur: actus intellectus, & exteriorum facultatum immediatè liberi non sunt, sed necessarii, tantumque mediatè liberi, id est per denominationem ab imperio voluntatis, qua reguntur, haud secus ac nutritio immediatè necessaria est, cum posito alimento, & reliquis causis non possit à voluntate suspendi, & mediatè duntaxat libera, hoc est per denominationem à voluntate comedendi, & alimentum adhibendi: ergo si nutritio defectu libertatis non est praxis, actus etiam commemorati praxes non erunt. Deinde respondeo, cognitionem nutritionis duplicem esse: alia namque hominem cum esse supponit, & materiam iam applicatam; haec autem non est practica, neque nutritio praxis respectu illius, non quia nutritio est necessaria, sed quia ea cognitio ad executionem nutritionis minimè deseruit: alia vero materiam non supponit applicatam, sed applicabilem, eamque potest, & solet adhibere; & haec practica est, & nutritio praxis respectu illius. Quod autem opponitur, eam cognitionem non esse artem, adeoque non posse practicae esse, nullius arbitror momenti: tum quia notitia illa est ars, non naturae superaddita, aut studio acquisita, at naturalis: ut paulò supra exposuimus: tum etiam quia si de nomine quaestio sit, & nulla concedatur ars naturae debita, quid facilius, quam negare solam artem esse practicae? qua ratione Aristoteles supra citatus prudentiam ab arte distinguit, & tamen eam practicae adstruit. Quod autem dicimus, cognitionem nutritionis alimento adhibito prauiam esse practicae, id intelligendum est de eius cognitione vulgari, & ordinaria: acroamatica enim, & scientifica, qualis traditur in physica, etiam si applicationem materiae praecet, fortasse tamen practica non est, ob dicta superius cap. 2.

61 Arguitur quarto: visio beatifica est omnino speculatiua, & non practica, ac proinde amor beatificus & fructivus non est praxis: at non alia gratia, nisi quoniam est operatio necessaria, & non libera. Respondeo: amor beatificus praxis non est, quia necessarius, sed quia obiectum visionis beatae non est: praxis enim obiectum notitiae practicae debet esse. Quod si instet aliquis ex aduerso, visionem beatificam, quemadmodum alia in Deo, sic etiam amorem illum in eo cernere, ad manum est responso, amorē beatificum per visionem Dei cognitū respectu eius esse praxim; hactenus autē sermonē fuisse de amore, qui oritur ex visione beatifica prout praecisè tali, & prout est solius Dei: namque eum videndo beamur, & per accidens est ad nostram essentialem beatitudinē, quod aliud quidpiā in eo videamus. Adice, amorē beatificum, iuxta Scotum, & affectus, Balthasarē Tellez, & alios recentiores praxim esse; quam

quamobrem argumentum nullius esse momenti, vt-
pore quod assumit aliquid inter auctores dubium, &
in eius probationem nihil prorsus adducit.

62 Arguitur quintò, Verbum diuinum praxis non est:
at non aliam ob causam, nisi quia contingens non
est, sed potius summè necessarium: igitur contin-
gentia, & ad vtrumlibet indifferentia, praxi non est
contingens, sed omnino essentialis. Respondeo, Ver-
bum diuinum esse praxim intuitu cognitionis Pater-
næ à qua procedit. Primò, quia finis cognitionis Pra-
cticæ est actio, & quod sub actionem cadit, vt ex su-
perioribus liquet: sed Verbum diuinum est actio ad
intra, vt aiunt, & generatio passiva, & verè producitur
ac generatur: potest igitur esse obiectum alicuius
practicæ cognitionis, nihilo minus quam quodlibet
aliud agibile: talis autem cognitio non alia quam
Paterna à qua dimanat. Deinde actus virtutum mora-
lium in Deo sunt praxes, cum tamen realiter non
producantur: à fortiori ergo Verbum diuinum reali-
ter productum praxis erit. Antecedens est perspi-
cium: quoniam actus hi prudentia regulantur, quæ
vniuersim practica est: quod egregiè docet P. Sua-
rez 1. part. lib. 3. de attrib. cap. 4. num. 7. his verbis:
*Diuina cognitio duplici ratione practica est, vno modo
per modum prudentiæ respectu ipsiusmet voluntatis
diuine quoad actus liberos vt sic, seu quoad determi-
nationes eorum, &c. Præterea Capreolus quæst. 2. prol.
Soncin. 6. metaph. quæst. 2. & alij Thomistæ, item
Scotus quæst. 5. prol. & communiter eius sectatores,
solum actum imperantem, & internum esse propriè,
& primariò praxim censent: opus vero imperatum, &
externum non nisi secundario, & per denominatio-
nem à voluntatis imperio præcedente: atqui creaturæ
à Deo prudenter, & artificiosè productæ sunt
praxes: non igitur ipsæ, sed voluntas Dei efficax ear-
um existentiam imperans iuxta hos auctores sortie-
tur rationem praxis propriè, ac primariò: quid igitur
Verbum esse praxim refugimus? quasi vero hoc ali-
quam Deo imperfectionem affingeret. Denique
praxis vt sic nullam imperfectionem inuoluit: sed
verbum creatum praxis est, vt contra Scotum
ostendimus: igitur & Verbum increatum. Maior est
communis, & probatur: tum quia actus liberi Dei
omnis imperfectionis expertes, tamen sunt praxes, vt
iam vidimus, id quod Scotus apud P. Suarez loco ci-
tato extendit ad amorem etiam Dei necessarium, siue
eius circa seipsum: tum etiam quia alias actio, & ge-
neratio in communi imperfectionem clauderent,
adeoque in diuinis locum non haberent: tum deni-
que quia nulla argumenta contrarium euincunt.*

63 Dices Basilium, lib. 2. aduersus Eunomium, eum
reprehendere, quod Verbum Dei contra Scriptura-
rum vsum Patris genituram appeller: cum ergo in
Scripturis, aut Theologorum monumentis nusquam
praxis de Verbo dicatur, eum loquendi morem pro-
fus reiiciendum esse. Respondeo, Eunomium teste
Basilio idcirco Verbum Dei non Filium, aut natum
Patris, sed eius genituram appellare, vt *geniti ad in-
genitum oppositione, contrario pacto ad Patrem habere
Filium in substantia ipsa ostendat*. Rursus tale vo-
cabulum nec Ecclesiæ, nec scripturarum consuetudi-
ni conforme esse: quid mirum ergo si explodatur? At
praxis de Verbo dicta nihil indicat fidei contrarium:
quod enim contingentia Verbi sequatur inde, hoc
negamus cum omnibus illis scholasticis, qui praxim
suapte natura contingentem esse denegant: item vo-
cabulum istud secundæ personæ accommodari inso-
litum in Ecclesiâ non est, sed potius Ecclesiasticis scri-
ptoribus nuper relatis, aliisque pluribus satis conso-
num. Et quamuis ij scholastici, qui ad praxim contin-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

gentiam aliquam poscunt, eosque inter Suarez ex-
pressè Verbum, vel, quod instat est, Spiritum sanctum
praxim renuant, cæterum reliqui omnes eam praxis
conditionem negantes, vno Hurtado excepto, & ali-
quibus post ipsum Neotericis, Verbum esse praxim
velut exploratum supponunt.

64 Dices secundo B. Thomam 1. part. q. 14. art. 16. &
eius interpretes omnes sentire Verbum non esse
praxim. Nihilominus B. Thomas eo loci tantum con-
tendit Deum habere de seipso scientiam duntaxat
speculatiuam, non verò practicam: cæterum interpre-
tandus est de scientia practica circa prædicata Dei
absoluta, & improducta, ac necessaria, cuiusmodi sunt
deitas ipsa, omnipotentia, aternitas, aut immensitas,
vt ex illius contextu liquet, non vero circa prædicata
necessaria relatiua, cuiusmodi sunt Verbum, & Spi-
ritus sanctus, nec absoluta libera: hæc enim à
Deo practicè cognosci, nec negat, nec affirmat,
& consequenter an illa praxes sint eo loci in medio
relinquit. Atque idem iudicium de reliquis schola-
sticis, quorum similibus testimoniis nullo iure recen-
tiores vtuntur.

65 At P. Hurtad. disp. 11. de anim. sect. 2. n. 12. negat,
Verbum esse praxim, vt iam dictum, non quia necessa-
rium est, sed quia non causatur, sed producitur, à
quo parum discrepant alij, qui Verbum, quoniam
iuxta verba symboli *genitum non factum*, idcirco à
ratione praxis exterminat. Cæterum hæc solutio
iis argumentis, quibus nostra solutio probata est, fa-
cilè potest improbari. Rursus cognitio Verbi diuini
in sola eius contemplatione non sistit, sed ulterius
gradum facit non ad eius causalitatem, aut effectio-
nem, at certè ad eius productionem, & generationem:
ergo respectu illius non est speculatiua, adeoque
practica.

66 Secundo alij censent, Verbum non esse praxim, quia
non est obiectum cognitionis à qua procedit, sicut ad
praxim oportet, sed alterius à qua non procedit, cuius
explicatio Theologici muneris est. Contra: Verbum
expressiue essentia omnium consensu à cognitio-
ne essentia procedit: at ea cognitio essentia est etiam
cognitio Verbi: hoc igitur procedit à cognitione cui
obiicitur. Minor probatur: quoniam Verbum procedit
à cognitione essentia, non quacumque, sed compre-
hensiua illius: id enim ad perfectionem Verbi attingere
videtur: sed comprehensio essentia Verbum eius ex-
pressiue, sicut & reliqua omnia connotata, attingit.

67 Alij tertio ad cognitionem practicam desiderant,
vt speciali titulo ad productionem sui obiecti con-
ducat, & sit eius productiua, potius quia est co-
gnoscitiua illius, quam quia aliud obiectum dignos-
cit: quando igitur cognitio Verbi non magis illud
producit, quia illud cognoscit, quam quia essentiam,
(nam plures negant Verbum ex cognitione sui pro-
cedere, cum tamen ex cognitione essentia illud pro-
cedere nemo inficias eat) mirum non est, quod ea co-
gnitio practica, & Verbum praxis non sint. Sed cur
hæc etiam doctrina mihi displiceat, absoluam breuif-
simè. Si visio beatifica amorem itidem beatificum co-
gnosceret Deumque summè amandū diceret, practi-
ca foret respectu amoris, & amor praxis respectu il-
lius: at non magis causaret amorem beatum, quia
illum cognoscit, quam quia aliud obiectum, Deum
videlicet cognoscit, quinimo è conuerso se res ha-
bet, cum provt cognoscitiua Dei amorem neces-
sario inferat, si vero esset duntaxat cognoscitiua
amoris cum necessario non inferret: eo igitur
speciali titulo ad praxim opus non est. Maior est
conspiciua: quoniam visio beata eo in euentu ef-
fer dictamen prudentia, aliis huius virtutis actibus

I i 3 non

non abfimile: dictamen autem quoduis prudentia est practicum. Insuper, iudicium quo beati iudicant Deum clarè visum summè amandum esse, distinctum quidem à visione beata, & eaque posterius, est practicum, vt animaduertit Sotus in 4. distinct. 49. quæst. 1. art. 4. conclus. 5. esto ergo identificetur cum visione beata speculatiua Dei, practicum adhuc manebit: nam identitas cum cognitione speculatiua vnius obiecti, non obest tendentiæ practicae in aliud obiectum, aliàs nulla cognitio speculatiua & practica simul esset intuitu diuersorum obiectorum, quodque difficilius est, nulla Deo cognitio practica concedi posset, cum omnis cognitio diuina cum aliqua eius notitia speculatiua realem identitatem potiat.

67 Quartò: iidem putant, cognitionem practicam non esse immediatè factiuam operis, sed directiuam, vt aliunde fiat, sicut in artibus mechanicis visitur: cognitio autem Verbi diuini est immediatè eius productiua, & non præceptiua vel directiua, vt aliunde producat, qua de causa nec ipsa est practica, nec eius terminus, nempe Verbum, praxis. Verum ne hæc doctrina placeat: quoniam volitio Dei efficax est immediatè operatiua ad extra, nihilominus dicitur practica respectu sui obiecti, atque ita Suarez in metaphysica, & alij scholastici passim loquuntur: actus igitur intellectus poterit dici practicus intuitu eius obiecti, cuius est immediatè factiuus, vel productiuus. Præterea qui scientiam visionis Dei immediatè productiuam rerum extrararum statuunt, eandem practicam censent, vt testatur Suarez lib. 3. de attributis positivis cap. 4. num. 10. & qui imperium intellectus his verbis, *fac hoc*, respondens rerum creatarum immediatè executiuum volunt, illud practicum appellant, teste eodem Suarez libro 1. de præd. capite 16. num. 3. nec est qui hoc nomine vnos, aut alteros impugnet: ergo, &c.

68 Instabis tamen, cognitionem, quæ supra durationem suam reflectat, non esse practicam respectu illius, etiam si illius sit cognitio efficax: at non alia de causa nisi defectu supradicti specialis tituli, aut quia durationis immediatè productiua est, ea ratione qua, ignis, verbi gratia, calorem, & reliquas proprietates suas immediatè producit, aut denique quia duratio non contingit tali cognitioni, sed magis est eius proprietas necessaria, atque ad illius connaturallem statum attinet: triplex igitur illa conditio, vel ex triplici, aliqua ad notitiam practicam, & praxim requiritur. Sed maior est falsa, vt ex iis constat, quæ de visione beatifica amorem Dei quem rapit cognoscente, superius disseruimus. Instabis secundo, Spiritum sanctum similiter fore praxim. Respondeo concessa sequela cum Augustino lib. 6. de Trinitate, cap. 10. vbi sic ait, *Verbum est ars omnipotentis Dei plena omnium rationum viuendum*. Quandoquidem ergo Spiritus sanctus per essentiam Spiritus, & vita est Verbum respectu illius ars, siue cognitio practica erit, & ille praxis consequenter intuitu Verbi: quidni igitur hoc respectu Patris vera praxis censetur?

69 Aduersus postremam doctrinam nostræ partem, quam sumus inficiati praxim genere suo esse voluntariam, referri solent omnes auctores huius initio capitis laudati: arbitror tamen, multos posse intelligi de praxi nostra & ordinaria, non vero generica, & communissima: quanquam etiam hoc diffiteri nequeo Patrem Suarez supra sectione 13. num. 28. & 30. Raphaëlem, Auerfam citata questione 27. sectione 4. paulò post medium, Fonseca & alios recentiores aperte nobis refragari. Primum autem

huius sententiæ argumentum sic habet. Praxis genere suo est operatio contingens, & libera: sola autem operatio voluntaria, id est à voluntate, vel immediatè, vel eius imperio mediante proficiens, potest esse libera: sola namque voluntas est potentia libera, & radix eius libertatis, quæ in aliarum facultatum opera redundat: praxis igitur debet esse voluntaria. Sed quid? si quis cum Durando intellectum immediatè liberum esse tueretur. Deinde multis partibus verius, ac probabilius est, praxim in communi non esse suapte natura operationem liberam, quo tota vis argumenti corrumpitur. Aliud eius sententiæ argumentum est. Praxis debet esse ex directione cognitionis practicae, huiusque obiectum & effectus: cognitio autem non dirigit nisi mediante amore: praxim ergo amatam seu volitam aut voluntariam esse oportet. Concessa maiori, minorem nego: quod enim vna cognitio ad aliam immediatè dirigat, eamque nullo interueniente voluntatis imperio multoties inferat, superius ostendi, idque etiam si contingat vnum esse obiectum alterius, vt si aliquis apprehendat euidenter, & rem esse, & ita per iudicium immediatum, aut conclusionem eam cognoscendam esse. Quin etiam vna cognitio immediatè quidem, & quocunque voluntatis actu circumscripto, inferre potest non tantum aliam cognitionem, sed etiam opus aliquod non vitale, & exterius, vt exempli gratia, si cognitio aliqua in suammet durationem, vel vocationem reflectat. Tertium eius sententiæ fundamentum est huiusmodi. Praxis debet esse finis cognitionis practicae, vt supra sæpè sapius diximus: atqui solum opus voluntarium, & cognitionem, ac complacentiam terminans, ac mouens dici potest finis; hic enim finitur, qui propter se cognoscitur, & amatur, & ratione cuius, cetera. Huic etiam obiectioni occurrendum, praxim debere esse finem cognitionis practicae non actu, nec ita vt propter illam prius cognitam, & amatam eligi debeat hæc, sed apertitudine, quasi nihil possit esse praxis, nisi ei insit talis utilitas, ac dignitas, ratione cuius prudenter eligi queat eius cognitio practica, tamen de facto eiusmodi electionem prius intenta non subinferat.

CAPVT VI.

Aliqua annotamenta de modo representandi practico, & speculatiuo.

Notandum primò aduersus Ocham, Gabrielem, Gregor. maiorem quos refert & sequitur Pater Vasquez supra prima parte disp. 8. cap. 5. numero 20. non solum iudicium, sed etiam apprehensionem simplicem notitiam practicam esse posse: quoniam eiusmodi cognitio incomplexa multoties est efficax respectu sui obiecti, eiusque desiderium excitat, & executionem promouet, ad eamque velut finem destinatur. Notandum secundo cognitionem practicam veram esse oportere, si sit iudicatiua, aliàs quoduis obiectum à quouis practice cognosci posset, cum nullum obiectum sit quod velut à te operabile falsò tamen cognoscere nequeas. Animaduertendum tertio, cognitionem speculatiuam à fortiori veram esse oportere: qui enim falso cognoscit, non tam speculari, aut contemplari, quam hallucinari dicitur. Animaduertendum quarto cognitionem aliquam intellectus etiam iudicatiuam, nec practicam, nec speculatiuam esse, nimirum si iuxta nuper dicta factibilitatè obiecti falsò

falsò cognoscat. Neque verò id mirandum est: tum quia cognitiones belluinarum, atque, ut mox videbitur, sensitiuarum humanarum, nec practicae, nec speculatiuae sunt ratione suae imperfectionis: igitur de actu intellectus falso idem eadem de causa dicendum: Tum etiam quia de Logica nec formaliter practica, nec formaliter speculatiua esse Pererius, & alij docent: Denique, quod multo maximum est, quia de Theologia, scientiarum perfectissima, neutram tamen denominationem formaliter fortiri plures Theologi existimant.

71

Notandum quintò, cognitioni essentialiter conuenire, quod sit actu primò speculatiua, aut practica: quoniam cognitio eatenus est actu primo speculatiua, aut practica, quatenus est directiua, aut non directiua ad effectiorem sui obiecti modo superius explicato: cognitio autem per suam essentiam dirigit actu primo, aut non dirigit ad effectiorem sui obiecti, cum hac directio ab eius representatione indistincta sit: ergo, &c. Dices: si intellectio sit qualitas absoluta, cognitio, munere cuius Petrus v.g. motum progressuum Pauli Paulo possibilem, & sibi impossibilem esse cognoscit, eò quod eiusmodi motus actio, & modus solius Pauli sit, hac inquam cognitio constituta in Petro speculatiua est quoad actum primum, & posita in Paulo practica penes eundem actum, cum alterum ad motum progressuum dirigat, alterum verò dirigendo non sit; ea igitur cognitio actu primò practica est non essentialiter, sed duntaxat accidentaliter. Breuem tamen, & facilem habet hæc difficultas solutionem: ea enim cognitio accidentaliter speculatiua, aut practica non est actu primo, sed potius essentialiter, & immutabiliter practica simul, & speculatiua respectu diuersorum cognoscentium, quod & non aliud obiectio concludit, ut animaduertenti clarebit. Cæterum cognitio nostra multoties est accidentaliter practica actu secundo: ei siquidem accidit, quod cum effectiorem sui obiecti actu coniuncta sit, siue, quod actu secundo efficax sit, in tantum autem est practica actu primo, aut secundo simpliciter, aut secundum quid, quantum aliquo ex his modis efficax est. Quod autem diximus, practicum, & speculatiuum simpliciter atque actu primo sumpta esse differentias essentielles cognitionis opinio est Pererij 1. Phys. c. 3. paulo post initium. Suarez superius disp. 44. & Scoti q. 4. prol. §. dixi *apertius*: tamen ibi voce tenuis dissentiat, easque differentias magis intrinsecas, ac Physicè identificatas, quam essentielles, aut, quod iuxta ipsum perinde est, formaliter, ac ratione identificatas existimet. Quod porro diximus, speculatiuum, & practicum actu secundo aut, quod me iudice instar est, secundum quid sumpta, esse differentias accidentales nostræ cognitionis, opinio est Capreoli q. 2. prol. & aliorum Thomistarum, necnon Vasquez disputatione suprâ citata, & aliorum plurium.

72

Notandum sextò, eundem realiter actum, habitumque nostri intellectus, esse posse simul practicum, & speculatiuum intuitu diuersorum obiectorum. Ita Suarez relata disp. 44. f. 13. num. 43. Vasquez 1. parte disp. 9. c. 3. n. 6. Auerſa suprâ q. 27. f. 2. Præpositus q. 1. in 1. p. art. 4. Probatur autem primo: quia idem actus potest esse simul speculatiuus, & practicus respectu diuersorum cognoscentium, ut num. præcedenti ostendimus: quidni ergo & respectu plurium cognitorum? Deinde quoniam diuina cognitio cum realiter eadem & indiuidua sit, adhuc est practica, & speculatiua comparatione diuersorum obiectorum, sui videlicet & creaturarum: cur non

ergo similiter nostra? si quando contingat, eam plura indiuisibiliter intueri, quorum alia sub cognoscentis actionem cadunt, alia vero ab eo non sint factibilia. Atque hæc denique sit ratio à priori huius doctrinæ: nihil etenim obesse potest, quominus idem actus noster dirigat aliquando, & referatur ad executionem aliquarum rerum, & non aliarum, si nimirum alia & non alia sint à nobis operabiles. Quod autem disputat Caietanus 1. part. q. 1. art. 4. & 2.2. q. 4. art. 2. actum, habitumque complectentem alias res factibiles à cognoscente, alias eius effectiioni non subiectas, nec esse practicum, nec speculatiuum formaliter, sed utrumque eminenter, hoc mihi magnopere displicet: cum enim eiusmodi cognitio actualis, habitualisve sit formaliter efficax, & operatiua aliarum rerum, & respectu aliarum formaliter inefficax, ac non operatiua, nulla causa subesse potest, quominus etiam formaliter practica, & speculatiua intuitu earum dicatur, si sua quidem his nominibus significatio constet.

73

Notandum septimo, de ratione cognitionis practicae duntaxat esse ut sit efficax, sponte sua, ac per se respectu obiecti, siue, quod eodem redit, ut sit in subiecto per se non impedito ad operandum id quod intuetur. Quod autem sit per accidens inefficax, seu quod sit in subiecto per accidens impedito ad operandum non est aduersus illius rationem; aliàs claudus deambulandi practice esset ignarus, & ars saltandi ab eo ante claudicationem acquisita, in eo maneret, & non practica, ut recte infert Molina 1. parte q. 1. disp. 1. art. 4. item alias nemo non careret notitia practica & arte cuius instrumentis destituitur, ut bene arguit Auerſa q. citata f. 4. initio. Præter hos autem Auctores, aliosque antiquos Balthasar, Tellez 3. p. sum. in adnot. breuis n. 7. & alij recentiores nobiscum hac in re consentiunt.

Animaduertendum 8. contra P. salas. 1. 2. t. 10. disp. 7. f. 2. & Conimbricenses l. 3. de anima c. 10. in eius explanatione, cognitionem sensitiuam etiam internam, & imaginatiuam facultatis propriam, non esse strictè practicam. Primum, quia belluæ imaginatiua pollent, sed practice non cognoscunt, sicut nec speculatiue, quis enim dicat belluas speculari? Cui etiam adice, quod finem sicut ad practicam cognitionem oportet, non respiciant. Deinde intellectus est, quem vbicuius dispescit Aristoteles in practicum, & speculatiuum: at facultas imaginatiua non est intellectus: eius igitur actus nequeunt esse practici aut speculatiui, hæc de nominationes principio suo impertire.

74

Animaduertendum est Nono aduersus aliquos recentiores, non esse de essentia notitiæ practicae, ut iudicet obiectum esse factibile ab ipsomet cognoscente per accidens non impedito. Namque Dialectica, iuxta ipsos, est practica penè tota: atqui nullatenus esset practica, si vera doctrina ex eis nuper relata: etenim Dialectica prout talis duntaxat considerat definitionem constare ex genere, & differentia, diuisionem tribuere totum in suas partes, demonstrationem Barbaricam constare tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis: qui hæc & reliqua eiusmodi cognoscit, is est perfectus Dialecticus, etiam si nihil eorum à se factibile iudicet, neque talem reflectionem efficiat: & quidem iudicium illud reflexum factibilitatis earum intentionum, quæ Dialecticæ subiciuntur solummodo est quædam experimentalis cognitio non verò scientifica: quod enim medium habet Dialectica ratione cuius probati ab ea soleat eiusmodi factibilitas: nullum prorsus, aut certe curta erit omnis Dialectica hæctenus tradita: omnis

enim naturam, & proprietates secundarum intentionum, non vero quod sint factibiles à cognoscente, omni ope demonstrat, & iudicare cogit: hoc ergo iudicium ad dialecticam scientiam prout talem neutiquam attinet: ea igitur erit omnino speculativa, quandoquidem non claudit istud iudicium, cuius solius merito posset esse practica, iuxta neotericos quibuscum cernimus. Pari ratione aduersus eos probari posset, nec medicinam, nec ethicam, nec quod plus est, artem ullam liberalem, aut mechanicam esse practicam: omnes enim in hoc tantum docent, quatenus debeat opus fieri, non autem an possit à cognoscente fieri: hoc enim posterius est experientiae, illud prius artis. Rursus secundo impugnatur ea doctrina, & propugnatur communis reliquorum omnium Auctorum. Ad cognitionem practicam satis, superque est, ut ad effectiorem sui obiecti dirigat: aut ita directiua esse potest, quin obiectum suum esse effectibile à cognoscente iudicet; quemadmodum cognitio solius Dei v. g. dirigit ad eius amorem efficiendum, quin amorem velut effectilem iudicet, eumve illarens cognoscat. Quid? quod notitiam practicam debere esse iudicium & non posse esse simplicem apprehensionem immerito sumitur, ut huius initio capitis vidimus.

75 Decimo annotandum est, scientiam practicam aliam esse actiuam, cuius nimirum obiectum est actio, aliam factiuam, cuius obiectum est factio. Huius autem diuisionis notitiae practicae, natura ac variae species innotescunt, si actionis, & factionis multiplex discrimen breuiter explicetur, ad mentem Aristotelis, qui primus eas distinxit. Ergo sexto metaph. c. 1. & 3. de anima, t. 46. & 47. & 6. ethic. c. 2. eas ita dilucidat, ut actio sit solū operatio moralis, siue regulis moris, consona vel dissona, factio verò quauis alia interior, exteriorve non moralis sed Physica. Rursus nono metaph. cap. 9. actionem appellat omnem operationem immanentem, seu Physicam, seu moralem, seu intellectus, seu voluntatis propriam, factionem verò solam operationem transeuntem, & exteriorem. Tertio denique lib. 1. Magnorum moralium cap. ultimo, factionem vocat omnem operationem, quae finem aliquem superstitem habet, & exemplum ponit in structura domus, actionem verò eam duntaxat operationem, quae nullum finem à se distinctum reliquit, aut superstitem habet, & exemplum adhibet in citharae modulatu. Vide etiam circa Aristotelicum actionis à factione discrimen. P. Vasquez supra 1. parte d. 8. c. 5. à n. 14. & P. Amicum, tract. 27. log. disp. 2. q. 4. dub. 2. Quauquam autem aliqui existimant, solam actionem appellandam esse praxim, & consequenter scientiam actiuam solam dicendam esse *praxin* factiuam verò duntaxat *poieticam* hallucinantur tamen: namque Aristoteles ipse 2. mer. c. 1. textu 3. scientiam practicam adaequatè distinguit contra speculatiuam, adeoque omnem scientiam non speculatiuam hoc ipso practicam censet, cum ergo nec scientia actiua, nec factiua sit speculatiua, sanè utramque practicam reputat: tum etiam quia ibi scientiam practicam nuncupat eam, cuius finis non est veritas, sed opus aliquod: nimirum ergo scientiae practicae tam actiuam quam factiuam coercet: tum denique, quoniam utramque ex aequo vocandam esse practicam, & vtriusque terminum praxim docent Gregorius q. 5. prol. art. 1. Vasquez supra c. 5. n. 18. ad initium Suarez citata f. 13. n. 8. & plerique alij scholastici, qui etsi pressissimam illam acceptione notitiae practicae pro sola ea quod actionem aliquam respicit amplectantur, idque non immerito, ceterum illam etiam sine ulla impropria

te, aut metaphora significare omnem cognitionem operatiuam quomodolibet, & siue actiuam siue factiuam iure optimo arbitrantur.

Postremo adnotandum est, scientiam seu notitiam speculatiuam genere suo perfectiorem esse notitiam practica. Ita Plato in Philebo & quinto de re publica, & Arist. 6. metaph. cap. 1. de secundo & 12. methaph. c. 7. tex. 39. quos sequuntur Conimbri, in proem. Physic. q. 5. art. 4. conc. 1. & Auerla. q. 17. f. 2. ad finem. Facilis autem est huius doctrinae probatio: nam vltima felicitas, ac Beatitudo nostra est perfectissima operatio humana, omnique notitia practica excellentior, ut docet Arist. 10. Ethic. c. 6. 7. 8. ut que vel per se patet: atqui eiusmodi felicitas nostra, cum sit visio Dei, est speculatiua cognitio: & par est ratio felicitatis naturalis quam solam assequutus est Arist. namque ea etiam Dei est contemplatiua cognitio, naturalis quidem, & abstractiua. Rursus speculatiua cognitio perfectius obiectum genere suo respicit quam practica, illa enim Deum, Angelum, animamque rationalem, huiusque mundi aspectabilem machinam intuetur, secus vero quae nobis inesse solet cognitio practica: sed perfectio cognitionis ex obiecto potissimum crescit, atque desumitur. Denique cognitio speculatiua est propter se, practica autem propter exequutionem obiecti veluti finem: at praestantius est, quod gratia sui, quam quod alterius ergo expetitur, ut sponte sua constat, & ex Arist. 1. ethic. c. 7. colligitur. Enimvero cum hac doctrina cohaeret, quod aliquae speciales notitiae practicae aliquas speculatiuas perfectione superent: si nimirum harum generalis perfectio, vel ex subiecto, vel ex obiecto, vel confusione aliisue titulis decreascat, earum verò perfectio genere suo minor, è contrario crescat ob excellentiam obiecti, vel subiecti, aut ob maiorem claritatem, aliamve causam. Hoc pacto ens supernaturale genere suo perfectius est naturali: & tamen aliquod ens naturale, Angelus videlicet, aut anima rationalis multa accidentia supernaturalia, iuxta multos, superant.

CAPVT III.

Diuisio actus intellectus in quidditatiuum, intuitiuum, abstractiuum, & comprehensiuum.

77 Cognitio quidditatiua bifariam sumi potest, ac solet. Primo namque coincidit cum cognitione, qua intellectus quidditatem, ac essentiam rei clarè, ac distinctè cognoscit, siue mediata, siue immediata, & siue per species proprias, siue per alienas eam attingat. Ita cum Scoto communiter eius-esseclae: item ex nostris Hurtado, Arriaga, & alij. Rursus, secundo: cognitio quidditatiua dici solet illa, qua cognoscimus quidditatem rei immediate, ac per species proprias, & non alienas. Porro autem tunc dicitur cognosci res immediate, non vero mediate, cum nec à priori, nec in causa, nec in effectū, aliove medio dignoscitur: tum vero dicitur res cognosci per species non proprias, sed alienas, cum cognoscitur aut precise velut similis alteri, siue ad modum alterius; ut cum Angelum, sicut iuuenem alatum, ob oculos mentis proponimus: aut precise prout distincta ab aliis rebus, & cum earum exclusionē, aut negationē: ut cum Deum velut infinitum, incorporeum, & à se concipimus: aut etiam precise prout subest actu aliquibus accidentibus à nobis immediate cognitis; qua ratione substantias materiales in hac vita attingimus; quo fit, ut ob

vt obiectum per species alienas nobis representatur, vna etiam, eademque attentione rebus aliis ab eo obiecto distinctis simul cognoscendis non possumus non inhaerere. Hoc posteriori modo vsurpant cognitionem quidditatum Ferrara, Caietanus, & alij. Hinc palam est, Thomistas, ac Scotistas absque operæ pretio cõtendere, vbi latè disputant, an intellectus noster in hac vita quidditatiuè cognoscat Deum, ac substantias separatas: tota enim quæstio de nomine est, etsi notitia quidditativa in primo sensu accipitur, eius affirmatiua pars certa est: si verò in secundo sensu sumatur, negatiua quæstionis pars proculdubio vera est.

78

Cognitio etiam intuitiua varias habet acceptiones: etenim cum de ratione omnis cognitionis intuitiue omnium consensu sit, vt obiectum prout existens in aliquâ temporis differentia, necnon clarè, & distinctè, ac per species etiam proprias cognoscat; aliquando tamen cognitio intuitiua ita vsurpari solet, vt præter has condiciones postulet insuper coexistere obiecto, quod intuetur: atque in hoc sensu neque visio albedinis absque eius existentia à Deo per miraculum conseruata, neque cognitio memoratiua rei in intellectu, & phantasia eius existentie superstes, quantumvis clara sit, & per species proprias procedat, intuitiua dicendæ erunt, sed potius abstractiua: aliquando verò cognitio intuitiua propriè sumpta à coexistentia obiecti abstrahit: qua ratione scientia futurorum in Deo intuitiua ab æterno est, quamuis ab æterno futuris non coexistat: & hac significatione visio albedinis non existentis, & memoria præteritorum in intellectu, & phantasia notitiæ intuitiue dici solent. Nonnunquam etiam intuitio ita accipitur, vt præter condiciones supra insinuatæ, & omnium calculo receptas postulet etiam attingere obiectum immediatè in seipso, non vero in aliquo medio prius cognito: & in hoc sensu cognitio, qua Deus res independentes à libertate nostri arbitrij futuras in aliquo decreto suo efficaciter cognoscit, intuitiua non erit: interdum verò cognitio intuitiua solum excludit medium finitum imperfectum, atque inferioris ordinis: qua ratione omnes fatentur, cognitionem, quâ Astrologus cognoscit eclipses futuram in situ, & dispositione præuiâ astrorum, non esse intuitiuam, sed abstractiuam: cæterum non excludit medium infinitum, perfectissimum, ac supremi ordinis: atque in hoc sensu Beati in Deo, & hic in seipso plures creaturas intueri dicuntur. Hinc sedari facile possunt cõtentiones non pauca scholasticorum: quorum alij, inter quos Arriaga, volunt cognitionem claram, & immediatam existentie iam præteritæ esse actu intuitiuam: alij vero cum Hurtado disp. 10. de anima sect. 2. id negant: quorumque etiam non pauci cum Patre Suarez 1. p. tit. 2. lib. 10. cap. 6. num. 6. visionem creaturarum in Verbo intuitiuam esse volunt alij vero cum Hurtado id inficiantur.

79

Hactenus de notitia quidditativa, & intuitiua: quarum explicatione supposita vix superest aliquid explicandum, scituve dignum de notitia abstractiua: quippe quæ modò contra notitiam quidditativam, modò contra intuitiuam distinguitur, & per oppositas condiciones definitur; atque adeo tot modis accipi debet, quot accipi posse cognitionem quidditativam, vel etiam intuitiuam superius ostendimus. Aggrediamur ergo notitiam comprehensiuam: quam etsi nulli creaturæ respectu Dei conuenire posse Theologi omnes tueantur, in ea tamen explananda omnes ad modum non conueniunt. Eorum tamen sententiis prætermisiss ad cognitionem comprehen-

siuam præse & scholasticè sumptam, duas arbitror requiri condiciones: prior est, vt cognoscantur omnia, quæ in obiecto formaliter, aut eminenter continentur: posterior vero, vt cognitis omnibus, quæ ad obiectum formaliter, & eminenter pertinent, vt talis cognitionis fines, ac termini perfectionis substantialis eiusmodi obiecti attingantur, ac percipiantur. Hinc est, vt quamuis creatura aliqua diuinitus eleuari possit ad cognoscendum omnia, quæ sunt formaliter, ac eminenter in Deo: ad comprehensionem tamen eius euehi nunquam possit: videlicet, quia Deus nullos perfectionis substantialis fines, nullosque terminos habet, quos intellectus creatus attingat, & cogitatione complectatur, prout ad comprehensionem oportet. Duas autem illas condiciones ad comprehensionem intellectualem requiri conspiciuntur exemplo comprehensionis corporeæ, à qua proculdubio nomen comprehensionis ad actus nostri intellectus deriuatum est: tunc enim vnum corpus globosum, aliud cauo suo comprehendit, cum nihil illius non includit, & omne, quod est in ipso continet: necnon etiam, cum fines, & extrema corporis contenti ambitione sua complectitur, suisque voluminibus circumscribit: pari ergo ratione, vt intellectus cognitione sua rem aliquam comprehendat, opus est, vt non solum quidquid est in ipso formaliter, & eminenter attingat, sed etiam vt fines perfectionis eius substantialis percipiat, concipiatque. Accedit auctoritas Augustini epist. 112. cap. 8. vbi duas illas condiciones ad comprehensionem perspicuè postulat.

80

Porro autem comprehensio, alia est exacta, vulgaris alia: comprehensio exacta est ea, quam superius explicuimus, ad eamque oportet, vt fines rei attingantur, necnon etiam omnes eius effectus tam numero, quam specie distincti, ac tam naturales, quam supernaturales. Comprehensio autem vulgaris non postulat, vt, talesque effectus rei cognoscere, quin potius salua manet, tametsi omnes effectus rei solo numero diuersos, necnon etiam effectus in potentia eius obedientiali contentos minime æstquetur: quare ad eam satis est, vt cognoscat præcipuos effectus naturales rei inter se specie morali, ac notabiliter considerabili diuersos, vt animaduertunt Conimbricenses libro primo physice quæstione prima, capite primo, articulo primo. Vel etiam satis est cognoscere omnes effectus naturales specie diuersos, quos vno conatu res potest producere, verbi gratia, quantum calefacere, desiccare, & vrere possit ignis certo tempore, aut quantum spatij vno curriculo transigere, quantumve ponderis ferre equus possit. Hinc est, vt ne Angelus quidem creaturam vllam etiam imperfectissimam priori modo, siue exactè comprehendere possit, nisi supernaturaliter eleuetur, ob infinitatem numerum numericam effectuum, quam quæuis creatura continet: cæterum seipsum, & alias creaturas inferiores, non vero superiores viribus naturalibus comprehendere valet, si de posteriori comprehensione, scilicet vulgari sermo sit.